



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1589. usque ad annum 1595 - Una Cum Criticis R.P.  
Honorati A S. Maria Carmel. Discalc. Observationibus In Historiam  
Ecclesiasticam Abbatis Fleurii

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118669**

Liber CLXXIX.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67252)



*Henricus IV. Franciæ Rex Calvinismum abiurat.*

*Flaubert. Sc. 19.*

HISTORIÆ  
ECCLESIASTICÆ

CONTINUATÆ

*LIBER CLXXIX.*

~~~~~  
SIXTUS V. postea URBANUS II. ac demum  
GREGORIUS XIV. PP. MAX.  
RUDOLPHUS II. OCCID. IMP.

§. I.

*Navarræ Rex in Franciæ Regem salu-  
tatus sub Henrici IV. nomine.*

Sæcul. XVI.  
A.C. 1589.

**M**ortuo Henrico III. mox Navarræ  
Rex sibi Franciæ, & Navarræ  
Regis titulum vendicabat; quip-  
pe successionis jus ad ipsum quidem

*Thuan. l. 97.  
Aubigne hist.  
de France*

*Hist. Eccles. Tom. LI.*

A

devol- t. 3. l. 2. n. 23.



**Sæcul. XVI.**  
**A.C. 1589.**

devolvebatur: ast hæresis, quam palam profitebatur, Principes, Proceres, plurimosque Belliduces absterrebat, quominus unanimi consensu in Navarri electionem conspirarent: hinc die secunda Augusti noctu habito consilio, quid in præsentis rerum vicissitudine agendum, inter se deliberabant.

§. II.

*Principum, ac Procerum sententia circa Successionem.*

*Thuan. l. 97.*  
*Daniel hist.*  
*de France*  
*tom. 7.*

*Davil. t. 10.*

Sanior æque, ac potior pars ita censebat: „Regni diadema quovis demum periculo Navarræ Regi assertatur, nulloque pacto hujus Principis jura, ac lex falica violentur: nec aliud superest medium ad vitandi Regni divisionem; secus enim illud in tot dividetur Reges, quot numerantur Principes, vel armis potentes, aut successionis jus sibi attribuentes, sed demum se tyrannico exterorum Principum imperio subicere necesse erit: nunc vero hac in occasione facile apprehenditur, quod Deus hujus Principis causæ patrocinetur, eumque ad solium manu ducat; is enim urgente Regni necessitate milites contraxerat, pacem cum Proceribus inierat, ac non sine prodigio sua jura armis defendendo parem sese reddiderat: exacte igitur



„tur Christianæ legis præcepta adim-  
 „plent illi, qui hæc æternæ Mentis  
 „consilia sequuntur, ac futuri eventus  
 „incertitudinem cælesti dispensationi  
 „omnia temperanti committunt: imo  
 „ipsa etiam lex divina præscribit, ut  
 „Principibus quoque dyfcolis obtempe-  
 „retur, nec illi suis juribus priventur:  
 „porro Navarræ Rex æquitate,  
 „ac sinceritate eminet, proin sub ejus  
 „regimine nec violentum, nec tyranni-  
 „cum quid est timendum, sed prudentia  
 „moderatum regimen omnino exspe-  
 „ctandum, ubi absdubio sperari licet,  
 „quod rursus unicuique, quicquid cre-  
 „dere voluerit, credendi libertas in-  
 „dulgeatur, prout hucusque ea cuili-  
 „bet permiffa fuit: denique Gallicæ No-  
 „bilitatis indignum foret, si rebellium  
 „signa sequi vellet, econtra autem tot  
 „generosorum Belliducum fama crescet,  
 „si Regis sui sanguinem ab ipsis suis  
 „subditis profusum ulcisci, ei vero, qui  
 „jure nullatenus dubio legitimus ejus  
 „hæres est, Regni possessionem servare  
 „voluerint.

Ceterum alii longe diversa sentien-  
 tes unanimi suffragio ita censebant:  
 „præprimis Religioni Catholicæ prospici-  
 „endum, majorque ratio habenda est,  
 „ut Dei leges ferventur, quam homi-  
 „num edicta in usum deducantur, cum

A 2.

„fem-

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1589.



**Sæcul. XVI.** „semper animæ salus cunctis rebus ca-  
**A.C. 1589.** „ducis, ac terrenis præferenda veniat,  
 „nam omni etiam ævo, ubi de Regno-  
 „rum successione agebatur, præva-  
 „lebat Religio, hæc enim a lege natu-  
 „ræ, successio autem duntaxat a priva-  
 „torum hominum Constitutionibus, & po-  
 „sitivo Nationum jure dependet: insuper  
 „notum est omnibus, quod tunc, quam-  
 „primum Angliæ Princeps veram Re-  
 „ligionem abjecerat, mox Catholico-  
 „rum defectio subsequuta fuerit, totum-  
 „que Regnum sese sacræ Sedis obse-  
 „quio subtraxerit: bella autem, & ca-  
 „lamitates, quæ forte exinde timen-  
 „tur, brevi finiuntur: ex adverso  
 „salutem perdendi periculum amif-  
 „sa vera fide a Patribus ad filios, & de-  
 „nique ad omnes posteros propagatur:  
 „unde in tanti momenti negotio ni-  
 „mium complacendi studium certe dam-  
 „num nulla ætate reparandum procrea-  
 „ret: dyscoli, atque a vera fide alieni  
 „Principes equidem tolerandi sunt, si  
 „semel regnum quiete possederint, non  
 „autem id fiat, quando de sceptro il-  
 „lis recens conferendo, atque iis pri-  
 „mum in Reges nominandis agitur:  
 „præterea cuncti Regni Ordines, nec-  
 „non ipsemet Rex defunctus Navarræ  
 „Regem, ut fidem Catholicam ample-  
 „cteretur, hortabantur, hancque in  
 „rem



„rem nec preces, nec rationes etiam  
 „validissimæ negligebantur, quin tamen  
 „is vel unquam Calvinianæ sectæ ve-  
 „nenum evomere voluerit: fateri equi-  
 „dem oportet, hunc Principem doti-  
 „bus ad rotandum sceptrum necessariis  
 „præditum esse, nimio tamen studio  
 „suzæ hæresi addictus forte conscientis  
 „vim inferre, se obstrictum existima-  
 „bit: proin in præsentis rerum vicissitu-  
 „dine futura sollicitè veniunt prospici-  
 „enda, nec ullo pacto Christianissimum  
 „Regnum a debito Ecclesiæ Catholicæ  
 „obsequio, aut a Sedis Apostolicæ obe-  
 „dientia separandum est.

## §. III.

*Proceres Navarræ Regem ad ample-  
 tendam fidem Catholicam  
 sollicitantes.*

**B**ironius Marescallus, Lucemburgicus, & Espernonius Duces aliorum sententiæ suffragabantur, qui Henricum Borbonium in Franciæ Regem esse salutandum, eique obsequia præstanda, atque illum in hac dignitate colendum, tuendumque censebant, dummodo ipsum ejurata hæresi Catholicam fidem amplexurum, Catholicosque protecturum constaret: præcipue cum ea fuerit voluntas defuncti Regis, qui paulo ante obitum suum Navarræ Regem legiti-

*Davil. l. 10.  
 Aubign. t. 3.  
 l. 2. c. 24.*



Sæcul. XVI.  
A.C. 1589.

num suum Successorem declarans eum simul monuerat, ut veræ Catholicorum Religioni sese addiceret, si pacifice Regnum suum possidere velit. Prævaluit ferme apud omnes postrema hæc sententia, de qua Luxemburgicus Dux Navarræ Regem, qui tum Meredonii cum fidissimis suis famulis in castris erat, certiozem reddere jubebatur, eidem hæc exponens: „Omnes Regni „Proceres te tanquam suum Franciæ „Regem agnoscere, tibi servire, teque „contra omnes defendere parati sunt, „eo quod Deus, ac prima Regni lex te „per legitimæ successionis viam ad Regni solium vocet: pro conservanda „tamen pace, Regni que tranquillitate, „per Regis Christianissimi titulum, ejusque dignitatem, necnon propriæ vitæ „tuæ securitatem te exorant omnes, „ut ad Catholicam fidem reverti, atque „in sinum Ecclesiæ redire, omnemque „hostibus tuis obtentum prævertere, „necnon omnem conscientiæ timorem „tuis subditis adimere velis, ut deinceps omnes unanimi applausu tibi obtemperare, teque revereri valeant: „certus enim sis, quod nec ipsorum conscientia, nec Religionis sanctitas permittere possit, ut in Franciæ Regem „Princeps a fide Catholica aversus admittatur, eo potiori nomine, quod „omnes



„omnes tui Prædecessores a tempore Sæcul. XVI.  
 „Clodovæi serie nunquam interrupta in A.C. 1589.  
 „eadem sancta Religione perstiterint.

## §. IV.

*Regis responsum ad hæc monita.*

**A**d hæc Navarræ Rex hunc in modum Davil. l. 10.  
 respondit: „animum sincerum, at- Daniel.  
 „que affectu gallicum natura mihi indi- l. cit.  
 „dit: grates autem Nobilitati reddo,  
 „quod tam honorifica de me consilia  
 „concipere voluerit, vicissim vero hanc  
 „Nobilium coronam veluti spectatissi-  
 „mam Regni partem revereor, omnes-  
 „que sincero affectu amplector, para-  
 „tus, quod tam palam, quam privatim  
 „eorum fidelitatem, studiumque grato  
 „animo compensem: non vero mirentur,  
 „quod ad ipsorum petita adeo  
 „prompte respondere non valeam; rei  
 „enim, quam de me petunt, gravitas  
 „deliberandi, ac mature desuper pen-  
 „tandi spatium deposcit, priusquam  
 „certi quid statuere valeam, nam plaris  
 „animam, ac conscientiam meam ha-  
 „beo, quam omnes humanas dignita-  
 „tes: hucusque autem in Religione,  
 „quam veram esse arbitror, enutritus,  
 „atque imbutus eram, non tamen ei-  
 „dem pertinaciter insistere volo, sed  
 „generalis, aut nationalis Concilii de-  
 „cisionibus, necnon institutionibus, quas

A 4

„mihi



Sæcul. XVI. „mihi Viri fide sinceri, atque idonei sub-  
 A.C. 1589. ministrabunt, subjicere paratum me ex-  
 „hibeo: cum autem hæc mentis lumina  
 „a Deo expectare oporteat, spe fretus sum,  
 „quod Deus longe efficacius in pace,  
 „& tranquillitate, quam fervente ar-  
 „morum strepitu ad cor meum locutu-  
 „rus sit: de cetero nil ardentius  
 „opto, nisi ut subditis meis, Regno-  
 „que satisfacere valeam: ad exequenda  
 „vero pia mea consilia opportunius ex-  
 „pectandum est tempus, ne mutatio mea  
 „aut vi extorta, seu conficta, vel ex  
 „humani quæstus desiderio facta vide-  
 „tur: eapropter vos rogo, ut occasio-  
 „nem magis propitiam expectare veli-  
 „tis, si autem de mea voluntate ido-  
 „neam cautionem desideretis, aut quas-  
 „dam conditiones in Religionis Catho-  
 „licæ favorem præscribere velitis, etiam  
 „in præsentis rerum statu omnem, quam  
 „desiderare poteritis, satisfactionem vo-  
 „bis præstare, paratus sum.,

## §. V.

*Proceres præstato fidei Sacramento  
 Navarrum in Regem salutantes.*

Thuan. l. 97. **A**cepto hoc Regis responso decretum  
 Davil. l. 10. est, ut Regi præscriberetur spatium,  
 Mem. de la intra quod veræ fidei dogmata edoce-  
 Lig. t. 4. retur, atque ejurata Calvinii hæresi Re-  
 gnum in fide Catholica tueri promitte-  
 ret:



ret: igitur scriptum quoddam concipie-  
 batur, quo Principes, Proceres, Re-  
 gisque Ministri, Nobiles, & milites  
 Catholici pollicebantur, quod Henri-  
 cum Borbonium tanquam suum legiti-  
 mum Principem, ac Franciæ Regem  
 agnoscere, eique fidem suam solemn-  
 i sacramento obstringere, atque obtem-  
 perare velint, quin obedientiam, quam  
 ipsi jurato promittere parati sunt, ul-  
 lis limitibus restringere intenderent: ea-  
 propter vicissim Henricus fide, ac verbo  
 regis pollicebatur, quod intra semestre  
 Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ  
 Religionis dogmata a Virorum specta-  
 bilium cœtu, vel si opus foret, a Con-  
 cilio nationali edoceri cupiat, ejusque  
 decisioni sincera fide sese submittere velit:  
 interea pollicebatur, se Religionem  
 Catholicam, Apostolicam, Romanam  
 inviolatam servaturum, nihil in ipsa,  
 aut illius disciplina innovaturum, aut  
 mutaturum: bona, & dignitates sacras,  
 sicuti semper antea a Regibus suis Præ-  
 decessoribus factum, atque cum Rege  
 defuncto conventum fuisset, inter per-  
 sonas idoneas, & Catholicæ Religio-  
 ni addictas dispensaturum præcipue  
 in locis suæ jurisdictioni obnoxiiis: insu-  
 per id, quod semper, priusquam ad  
 regnum vocaretur, protestatus fuerat,

A 5

denuo

Sæcul. XVI

A. C. 1589.



Sæcul. XVI.  
A. C. 1589

denuo repetiit, se paratum, quod ad Religionem attinet, boni, ac legitimi Concilii generalis, five nationalis, quod intra semestre, si fieri poterit, convocandum curabit, decretis stare: interea nullius alterius, quam Religionis Catholicæ, Apostolicæ, Romanæ toto regno publicum usum futurum, nisi iis in locis, quæ nunc a Protestantibus teneantur, sicuti pactis inter se, & Henricum III. conventis mense Aprili ultimo cautum fuerat: porro id locum habeat, donec aliter pacificatione generali in regno, aut ab Ordinibus regni intra semestre convocandis decretum fuerit: insuper cautum, ut urbibus, ac arcibus in bello capiendis nulli nisi catholici præficiantur, nisi in iis, de quibus aliter pactis cum defuncto Rege initis convenit: nulli item ad dignitates, Præfecturas, & publica munia in Urbibus nisi Catholici admittantur, exceptis semper iis locis, quæ a Protestantibus occupantur: tandem additum, ut Rex dignitates, privilegia, prærogativas, libertates, ac bona Principibus, Ducibus, Paribus, primariis regni coronæ Ministris, Proceribus, nobilibus, ac ceteris fidei subditis inviolata servet, & speciatim fidos Regis defuncti ministros commendatos habeat, operamque det, ut detestandi parricidii in Henricum III. patrati



patrati severa, & quæ posteritati in exemplum esset, publica expiatio fieret.

Sæcul. XVI.  
A.C 1589.

Præterea spondebat, quod suis subditis dare velit licentiam delegatos e suo numero ad Pontificem mittendi, qui eum de jurejurando præstito, & quas ob causas Henricum Borbonium in Regem elegerint, eique fidelitatis juramentum præstiterint, plenius edoceant, ab eoque impetrent, quod utile, ac necessarium rei Christianæ, Regis, regnique incolumitati, ac bono censerent.

Hæc pacta die quarta Augusti juramento firmata tam a Rege, quam potissimis Proceribus, Belliducibus, qui tum in castris erant, proprio chirographo muniebantur, postea vero in Tironensi senatu in tabulas relata, & comprobata: insuper Helvetii Regis stipendia mereri promittebant, hancque in rem Henricum IV. adeuntes ab eo perbenigne excipiebantur: ipse autem Rex postmodum ad oppidum sancti Clodoaldi contendit, ubi plurimi Proceres, ac Nobiles ex castris Navarrum salutaturi, eumque tanquam legitimum Regem suum veneraturi convenerant.

§. VI.

*Bellicæ Henrici IV. expeditiones.*

Paulo



Sæcul. XVI.  
A. C. 1589.

Thu. l. 97.  
Davil. l. 10.

Paulo post Henricus Rex defuncti Regis corpus, quod Compendium deferbatur, comitaturus discesserat, in itinere autem Meulantum, Giffortium, & Claromontium in Bellovacensi agro occupabat, ac postea continuato victoriarum cursu Normaniæ partem cepit, atque ad Arcas prope Dieppam magna clade Maduanum Ducem affecit, eumque non sine ingenti suorum dispendio retrocedere, ac propudiosam fugam arripere coegit: interea Parisiensis Senatus tam suo, quam fœderati Consilii nomine die septima Augusti in Borbonii Cardinalis favorem edictum promulgari jussit, vi cuius omnes Principes, Proceres, ceterique sollicitabantur, ut eum tanquam legitimum, ac sanguinis jure vocatum Regem agnoscerent, atque in religione Catholica, Apostolica & Romana se victuros, & morituros, nec ullo pacto hæreticis opem præstituros jurato sponderent. Biduo post hujus edicti tenor Provinciarum Rectoribus significabatur, quibus injunctum, ut juxta illud res suas componerent.

Henricus post publicatum hoc edictum veritus, ne Borbonius Cardinalis captus vi eriperetur, eundem Cainonem abduci, necnon Fontenacum in Pictavium transferri jussit, eumque Boulaio hujus urbis Gubernatori, cujus



ius fidelitas, animique fortitudo fatiſ Sæcul. XVI.  
comprobata erat, cuſtodiendum tradi- A.C. 1589.  
dit, cumque regiis armis ubique pro-  
ſpera adſpiraret fortuna, Augium, &  
Gamacenſem arcem in Ambianenſi a-  
gro armis ſuis ſubjecit.

## §. VII.

*Pater Burgoinus Fratrum Prædica-  
torum Prior captus, atque ex-  
tremo ſupplicio affectus.*

Postea Rex Parisinæ civitatis suburbia Thuan. E  
adorſus ea dimidiæ horæ ſpatio non- Davil. l. c.  
dum evoluto occupabat, ubi inter ca- Mem de  
ptos Edmundus Burgoinus Fratrum l' Etoil. t. 2.  
Prædicatorum Prior thorace indutus p. 9.  
dimicare deprehendebatur: cum au-  
tem sæpius in ſuis ſermonibus Henrici  
III. cædem approbaſſe, imo etiam dete-  
ſtandum hoc facinus conſuluiſſe convin-  
ceretur (\*) Turonium abductus eſt,  
ubi

(\*) Nullus omnino probatæ fidei Histori-  
cus allegari poteſt, qui vel unicum factum,  
ex quo Burgoinus huius facinoris ſuaſor ex-  
ſtititſſe convictus fuerit, juxta legum præ-  
ſcripta comprobatum adducere valuit: quini-  
mo ipſemet Thuanus Auctoꝝ hac in re certe  
non ſuſpectus, veritatis pondere preſſus de  
Burgoino hæc refert: *cum ad ſupplicium tra-  
heretur, magnam conſtantiam vultu præſetulit,*



Sæcul. XVI.  
A.C. 1589.

ubi sollicitante Aloysia Lotharingia defuncti Regis vidua iudicii acta in eum instruebantur, & quamvis constanter negasset, quod ullo pacto Clementem ad Regis cædem incitasset, nihilominus Turonensis Curia edicto damnabatur, ut quatuor equis ejus membra a corpore

*non tam iudicii severitatem, quam testium fidem incusans, cum iudices recte, & ex animi sententia judicassent, siquidem probationes contra ipsum factæ veræ essent, nam agebat parricidium se execrari, ac ingenue profiteri, poenam gravissimam commeritum eum, qui Regis interficiendi auctor, aut suasor extitisset: verum nunquam se de parricidio, antequam patreretur, quidquam rescivisse, multominus consilium ejus perpetrandi dedisse, & falsum dicebat, quod testes affirmant, id inter concionandum jactasse ipsum. Post sententiam pronuntiatam cum tormentis ad indicandos socios subiceretur, eandem constantiam servavit, nihilque aliud confessus est, quam se in publicis concionibus gratias Deo Optimo pro liberatione urbis egisse, exemplumque Bethulicæ in medium adduxisse: ceterum quod ad Regis cædem spectat, nunquam factum laudasse, quinimo illud ex animo detestari, & execrari: quibus dictis post valde piam orationem ad Deum alta voce conceptam summa cura corpus composuit, ne quid indecens pati cogeretur, & ita vitam inter cruciatus finivit.*



re avulsa concremarentur, ejusque ci-  
 neres postremo in aerem dispergeren-  
 tur, quæ tamen sententia nonnisi anno  
 sequenti die vigesima tertia Februarii  
 executioni data est. Hic idem Religio-  
 sus in ferali pegmate constitutus perele-  
 ganti oratione Deum precabatur, ut  
 Regem ad fidem Catholicam reducere  
 dignaretur, huncque Virum fœderati  
 tanquam sanctum deprædicabant oratio-  
 ne hanc in rem typis vulgata.

Postquam ergo omnia Parisinæ civita-  
 tis suburbia a regio milite fuerant occu-  
 pata, ea victorum deprædationi relin-  
 quebantur: verum Belliducēs, ne Ec-  
 clesiæ, ac Monasteria furentium libidi-  
 ni essent exposita, tam sollicite præca-  
 vebant, ut eadem die, qua Festum  
 omnium Sanctorum agebatur, divi-  
 num Officium in Ecclesiis tranquille fue-  
 rit celebratum, omnesque milites Ca-  
 tholici suæ religionis exercitiis quiete  
 incumbere, hancque festivitatem cele-  
 brare valerent: demum Henricus,  
 cum virium suarum potentiam Parisien-  
 sibus demonstrasse contentus esset, eo-  
 rum urbem infestis armis non aggredie-  
 batur, sed Montelerium secessit, Turo-  
 nium venturus, non sine prospero  
 expeditionis suæ successu, quippe po-  
 tissimas urbes, quas vel in itinere of-  
 fenderat, aut alias circum vicinas ar-  
 mis

Sæcul. XVI.  
 A. C. 1589.



**Sæcul. XVI.** mis suis subjecerat, eumque Castellodunum venientem Helveticorum Pagorum Deputati salutatum venerant, atque eidem fidem fecerant, quod eorum copiæ semper ad ipsius obsequium paratæ essent. Præterea Venetorum Respublica Henricum tanquam Regem venerabatur, ac ipsemet Mantuæ Dux eidem significari fecerat, quod de ipsius auxilio certus esse posset.

## §. VIII.

*Pontificis Legatus in Franciam delatus.*

**Thu. l. 97.** **Davila l. 11.** **S**ub idem tempus Turonii conspiratio præcipue a Fratribus Minoribus conflata detegebatur, quam tamen nonnulli mortis supplicio expiare cogebantur: porro postea Vindocinum, Cenomanum, Falesia, pluresque aliæ urbes deditionem fecerunt: interim foederati toti in eo erant, ut Borbonius Cardinalis Franciæ Rex agnosceretur, unde illum sub nomine Caroli IX. proclamabant: præterea Pontifex Cajetanum Cardinalem Henrici nominationem præpedire jussu Parisios ablegabat, qui Lugdunum delatus Alphonso Ornano Tribuno, dum is in Delphinatu agebat, nuntiari fecit, ne hanc Provinciam ulterius turbaret, sed relictis Regis partibus sacro foederi accederet: verum

Tri-



Tribunus hoc monitum iniquo ferens animo Nuntio hæc respondit: „sum e-  
 „quidem verus Catholicus, ac obediens  
 „sacræ Sedis Filius, quantum ad res  
 „sacras pertinet: at non minus Franciæ  
 „Regis obsequio addictum me profiteor,  
 „propterea ejus jussa exequi cogor, &  
 „pro muneris mei ratione Gratianopo-  
 „litanam, & Valentianam urbes hosti-  
 „liter invadere obstringor, prout ad  
 „Regis mei vota necessarium judicave-  
 „ro.” Hoc responso exacerbatus Pa-  
 pæ Legatus adhuc majorem conceperat  
 dolorem, postquam proprio experimen-  
 to edoctus fuerat, quod ob regii exer-  
 citus victorias fœderatorum res usque  
 adeo indies magis inclinarentur, ut ad  
 prosequendum iter nec securitatem,  
 nec militum præsidia sibi polliceri pos-  
 set. (\*)

## §. IX.

(\*) De hac fabula Thuanus nullam men-  
 tionem facit, sed duntaxat refert, quod Le-  
 gatus illos ad fidei constantiam, tranquillita-  
 tem, & hæresum extirpationem hortatus fue-  
 rit: quia vero nullam de Cardinali Borbonio  
 mentionem fecerat, ideo fœderati ea potius,  
 quæ Pontifex fecerat, ad placandos in præ-  
 sens bonorum animos interpretabantur, quia  
 ita Pontifici, & iis, qui ejus auctoritate res  
 in regno administrabant, propositum esset,

*Hist. Eccles. Tom. LI. B multi-*

Sæcul. XVI.  
 A. C. 1589.



Sæcul. XVI  
A. C. 1589.

§. IX.

*Bibliotheca Vaticana a Sixto V.  
constructa.*

*Gallois  
trait. des  
Bibl. p. 76.  
Angel. Roc-  
ca Bibl.  
Vatic.  
Ciaccon. in  
Sixt. V.  
tom 4. p.  
116. & 125.*

ANNO priori Sixtus V. celebrem Vaticani Palatii Bibliothecam jam ab ipso sancto Zacharia Papa inchoatam, necnon ab Innocentio VII., & Callisto III., & Sixto IV. auctam reparare aggrediebatur; ea enim Carolo Borbonio Ductore a Germanorum exercitu, postquam Romana urbs deprædationi exposita erat, penitus dissipata est: nunc vero Sixtus V. nulli labori, nullisque sumptibus parcebat, ut illam non modo operis elegantia, sed etiam librorum selectu, ac numero omnium celeberrimam, & locupletissimam, redderet, quam in rem in quodam Vaticani loco, qui *Bellveder* appellatur, magnificum pro nova Bibliotheca ædificium extrui, locumque picturis per celeberrimos illius ævi Pictores elaboratis adornari, ac præcipua, quæ ipsemet hucusque gessit, negotia, necnon alia ad Bibliothecæ ornatum accommoda exhiberi iussit, inter quæ præsertim visebantur illorum, qui literas adinvenerunt, effigies, generalia Concilia, & celebriores priscorum temporum Bibliothecæ:

multique ob id sensim a foederatorum partibus alienari cœperint.



cæ: porro hoc labore Sixtus V. unice Sæcul. XVI.  
 intendebat, ut Bibliotheca Vaticana A. C. 1589.  
 pristino suo splendori reddita præpedi-  
 ret, ne ea in posterum ob nimiam li-  
 bros educendi facilitatem dissiparetur:  
 eapropter circa ordinem, quem hujus  
 Bibliothecæ Præfecti ibidem servare te-  
 nerentur, prudentissimas præscripsit le-  
 ges, simulque severissimas pronuntia-  
 vit pœnas indicto etiam anathemate in  
 eos, qui aut hæc statuta violarent, aut  
 sine speciali summi Pontificis licentia  
 libros insuperhabito interdicto extrahe-  
 re præsumerent: ne vero hujus statuti  
 ignorantia obtendi posset, hæc decre-  
 ta duabus marmoreis tabulis ad Biblio-  
 thecæ ingressum erectis insculpi voluit.  
 Ceterum hæc Bibliotheca merito sibi  
 tantam deposcebat solertiam, quippe  
 jam tum plusquam decem millia scripto-  
 rum Codicum, qui ferme omnes maxi-  
 mi momenti erant, recensebantur: in-  
 super eadem, postquam Palatina, nec-  
 non Urbinatensi, & Christinæ Sueciæ  
 Reginæ Bibliothecis aucta erat, ex  
 omnibus totius Universi Bibliothecis  
 progressu temporis longe celeberrima  
 evalit.

## §. X.

*Typographia in Vaticano ab eodem  
 Pontifice instituta.*

B 2

Insuper



Sæcul. XVI  
A.C. 1589.

Insuper haud procul a præfata Bibliotheca instructissimam quoque typographiam erigi curabat, ut illius beneficio plurium operum, quæ vel ex hæreticorum perfidia, seu quorundam Catholicorum socordia, aut negligentia antehac adulterata, & depravata prodierunt, accurratæ, atque emendatæ editiones nunc concinnari possint: decreverat etiam Sixtus Pontifex, ut ibidem facer Codex in variis linguis, Concilia generalia, sanctorum Patrum opera, Liturgiæ in Ecclesiis approbatæ, ac plurima alia pietatis, & doctrinæ Christianæ opuscula tam pro fide Catholica in variis remotissimis regionibus propaganda, quam pro Catholica veritate in locis, ubi religio Christiana jam introducta viget, propugnanda omnis generis idiomatibus, ac literis imprimerentur: porro hujus typographiæ curam demandabat Dominico de Baza Veneto profunda sua eruditione, ac diuturna in ejusmodi negotiis experientia clarissimo, qui hoc in munere tantam sibi famam comparabat, ut hæc typographia brevi omnibus ad id necessariis tam abunde instructa esset, ut tanti operis excellentia labori responderet, & exinde Authoris gloria augetur: præterea Angelus Rocca ex Ordine Fratrum Eremitarum sancti Augustini, qui



qui Sixto V. a sacello, ac postea titularis  
 Tagedinus Antistes erat, Bibliorum,  
 Conciliorum, operumque sanctorum Pa-  
 trum editionibus invigilare a summo  
 Pontifice jubebatur.

Sæcul. XVI.  
 A. C. 1589.

§. XI.

*Varia Sixti V. diplomata.*

Hæ tamen exercitationes Sixti V. ani-  
 mum nequaquam a procurandis Ec-  
 clesiæ negotiis avertebant, quinimo  
 hac sollicitudine excitatus hoc anno plu-  
 ra edebat diplomata: I. Namque die pri-  
 ma Januarii decernebat, quod fructus  
 beneficiorum Regni Neapolis, tempore obi-  
 tus Beneficiatorum, qui cum camera Apo-  
 stolica super spoliis transfegerunt, pendentes,  
 vel non exacti, non ad eorum hæredes, vel  
 capitulum, & clerum, sed ad ipsam Came-  
 ram spectent.

Bull. t. 2.  
 pag. 710.

II. Diplomate die nona ejusdem  
 Mensis edito agit de habitu, & tonsura  
 clericorum, & Militum beneficia ecclesia-  
 stica obtinentium.

III. Die decima quinta Martii Papa  
 instituit tribunal rotæ in civitate Macera-  
 tensi, Provinciæ Marchicæ Status Ecclesia-  
 stici, ad cognoscendas lites dictæ Provin-  
 ciæ.

IV. Die vigesima quarta Maji Ponti-  
 fex Ecclesiam Episcopalem civitatis Fir-  
 mi,

B 3

mi,



Sæcul. XVI. mi in Provincia Marchiæ erexit in  
A.C 1589 Ecclesiam Archiepiscopalem.

V. Die vigesima septima Junii Sixtus V. indulgit, ut *Fratres, & Moniales Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmelo Congregationis discalceatorum in Italia, recitare valeant Horas Canonicas juxta ritum Breviarii Romani nuper emendati, prætermisso Ordinis usu, & celebrandi festa Sanctorum dicti Ordinis, etiamsi in Calendario Romano non contineantur.*

VI Idem Papa decrevit, ut Archiconfraternitas pietatis pro carceratis a Gregorio XIII. in urbe instituta, habeat officium provisoris pro condemnatis ad triremes totius status Ecclesiastici, ac possit annis singulis secunda feria post primam dominicam quadragesimæ unum carceratum etiam pro capitali crimine damnatum liberare.

VII. Die vigesima tertia Augusti decretum edidit de electione Prioris Generalis, & aliorum Prælatorum Congregationis Canonicorum Regularium S. Salvatoris Ordinis S. Augustini.

VIII. Quodam diplomate die vigesima Decembris idem Pontifex suppressit institutum Fratrum calceatorum S. Francisci in Italia, eorumque loca concessit Fratribus Minoribus conventualibus Reformationis, ordinis ejusdem sancti Francisci.

§. XII.



## §. XII.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1589.*Quatuor Cardinales ab eodem Pontifice creati.*

Eodem hoc anno Christi millesimo quingentesimo octogesimo nono die decima quarta Decembris Sixtus V. octava jam vice quosdam Prælatos numero quatuor Romana Purpura decorabat, quos inter primus erat Marianus Perbenedictus apud Camertes in Umbriæ, & Piceni finibus ex nobilissima hujus nominis familia natus, eratque Marturanensis in Calabria Episcopus, ac dein vulgo Cardinalis Camerinus dictus titulo sanctorum Petri, & Marcellini. II. Gregorius Petrochinus patria Pisanus, supremus Ordinis Fratrum Eremitarum sancti Augustini Moderator, primo Cardinalis Presbyter tit. sancti Augustini, postea vero sanctæ Mariæ trans Tyberim, ac demum Episcopus Prænestinus. III. Carolus de Lotharingia ex Caroli Lotharingiæ Ducis, & Claudie Henrici II. Franciæ Regis Filia anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo septimo Nancæi natus, qui ex Argentinensi Episcopo Cardinalis Diaconus creabatur tit. sanctæ Agathæ. IV. Guido Pepulus, qui variis Romanæ Curie officiis probe defunctus, ac Protonotarius, Referendarius,

B 4

rius,



Sæcul. XVI.  
A. C. 1589  
rius, & Cameræ thesaurarius renuntia-  
tus, aliaque munia obiens tandem Car-  
dinalium Collegio adscribatur, titu-  
lum adeptus sanctorum Cosmæ, & Da-  
miani: ast paulo post Presbyteris Cardi-  
nalibus annumeratus titulum sancti Eu-  
stachii obtinuit, quo rursus dimisso ad  
illum sancti Petri in Monte aureo voca-  
batur.

## §. XIII.

*Bonuccii Cardinalis obitus.*

*Arch. Gion.*  
*in annal.*  
*servorum.*  
*Ciacon. p.*  
*182.*  
*Ant. Vist.*  
*in add. ad*  
*Ciac. Ughel.*  
*Ital. sacra.*  
Ceterum ex Cardinalibus hoc anno de-  
functis non nisi tres numerantur,  
ex quibus primus erat Stephanus Bo-  
nuccius Aretinus ex Ludovico Patre in  
summa quidem paupertate constituto,  
sed prudentia, ac honestate conspicuo  
natus. Fertur, eum a Stephano Bo-  
nuccio nobili Aretino, ac Servorum B.  
Virginis Generali, cujus fuerat alum-  
nus, professionem, nomen, & agnomen  
auspicato traxisse: siquidem, cum ser-  
vorum Ordinem fuisset professus, in ar-  
tibus plurimum profecit: sacro igitur  
Theologiæ magisterio honoratus, elo-  
quentia clarus, Patavii, ac Bononiæ Re-  
gentis munus obibat, ac postmodum Apo-  
stolicus Ordinis sui Visitator, dein ve-  
ro Procurator generalis renuntiatus est.  
Postea unacum Hugone Boncompagno  
Apostolico Legato in Hispaniam Ca-  
ranzæ



ranzæ Archiepiscopi Toletani caussam Sæcul. XVI.  
A.C. 1589.  
inspecturo contendit, indeque reversus  
Cæsennæ in ordinis sui comitiis gene-  
ralis Magister, seu Rector renunciatus  
interfuit Tridentinæ Synodo, atque ab  
eodem Hugone Legato ad Pontificatum  
sub Gregorii XIII. nomine promotus, an-  
no Christi millesimo quingentesimo se-  
ptuagesimo tertio Episcopus Alatrinus  
in Æmilia, & mox Aretinus nominaba-  
tur. Demum hoc Pontifice vita functo a  
Sixto V. ejus Successore, qui hunc virum  
sibi in paucis carum habebat, Romam ac-  
cessit sanctæ Inquisitionis Consiliarius  
primo eligitur, deinde Presbyteris Car-  
dinalibus tituli SS. Petri, & Marcellini  
adscriptus, etiam Cardinalium Congrega-  
tioni, quæ pro Concilio Tridentini exami-  
ne erat instituta, præficiēbatur, quo  
munere functus pleuritide laborans die  
secunda Januarii Anno Christi millesimo  
quingentesimo octogesimo nono, æ-  
tatis vero suæ sexagesimo octavo in or-  
dinis sui monasterio obiit, cujus Cor-  
pus in Ecclesia sancto Marcello Ponti-  
fici sacra sepultum est. Asservantur in  
Pisana Bibliotheca nonnulli hujus Car-  
dinalis commentarii in Aristotelem, &  
Magistrum sententiarum.

## §. XIV.

*Farnesii Cardinalis mors.*

B 5

Alter



Sæcul. XVI.  
A C 1589

*Thuan. l. 96.*  
*Ciac. t. 3.*  
*pag. 558.*  
*Paul. Jov.*  
*hist. l. 39 43.*  
*Leand. Albert. in de-*  
*script. Ital.*  
*Roch. Pyr-*  
*hus in notit.*  
*Eccl. Sicil.*

**A**lter erat Alexander Farnesius natus major Petri Ludovici Farnesii Parmæ, & Placentiæ Ducis, atque Hieronymæ Ursinæ Matronæ pietate, ac singulari meritorum gloria celeberrimæ Filius, natusque erat anno reparatæ Salutis millesimo quingentesimo vigesimo die septima Octobris, porro Romæ inchoato studiorum curriculo Bononiæ tantopere profecerat, ut insuper modestiæ laude insignis a Clemente VII., quamvis nonnisi quatuordecim annos natus Parmensis Episcopatus Administrator nominaretur, paulo post a Paulo III. Avo suo paterno, qui Clementi VII. successerat, die decima octava Decembris Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo trigesimo quarto Cardinalis renuntiatus, progressu vero temporis anno post Christum natum millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, ac subsequētib; annis Sabinensem, Tusculanum, Portuensem, Ostiensem, Veliternum, pluresque alios Episcopatus obtinuit, simulque sacri Collegii Decanus, Romanæ Ecclesiæ Pro-Cancellarius, & sanctæ Mariæ Majoris, necnon Vaticanæ Ecclesiæ Archipresbyter creabatur: porro Anno post partum Virginis millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto, postquam per plures annos Avenionensi Archiepiscopatu

1631A

tui



tui præfuit, ad Montis Regalis Episcopatum nominatus, & Patriarchæ Jerofolymitani titulo decoratus est: insuper a Carolo V. Cæsare ob præclara sua merita tanti habebatur, ut ille dicere soletet: *si Collegium Cardinalium ex talibus viris, qualis est Farnesius, totum constat, profecto Senatus similis nusquam gentium reperietur.*

Sæcul. XVI.  
A.C. 1589.

Præterea Alexander a Paulo III. Avo suo diversis maximi momenti Legationibus in Franciam, Germaniam, & Belgium præficiebatur, nec tamen ejus conatibus prosper arridebat successus, cum Caroli V. jura cum Francisci I. postulatis conciliare niteretur: feliciter tamen colloquium Buffetanum inter summum Pontificem, & Carolum V. evincebat, ubi pacis conditiones, quarum alibi meminimus, fuerant sancitæ: demum hic idem Farnesius sub diversis Pontificibus semper eximio nominis sui honore, ac fama inclarescebat, litteratorum Parens, fautorque: hinc dicere solitus erat: *ignavo Milite, & Clerico literarum ignaro nihil turpius in orbe reperire est.*

Hic idem Jesuitarum Collegium Romæ extrui curavit, primumque hujus ædificii lapidem unacum Augustano Cardinale anno Salvatoris nostri millesimo quingentesimo sexagesimo octa-



Sæcul. XVI.  
A. C. 1589.

vo posuit, pluresque alias fundaciones fecit. Tandem die secunda Martii hoc anno, septuagenarius Romæ e vivis excessit, postquam per quinquaginta quinque annos Cardinalitiam dignitatem possederat. Corpus ejus in Jesuitarum Ecclesia terræ mandatum: ejus vero viscera in sanctorum Laurentii, & Damasi templo ante Aram maximam recondita fuere, ubi illius exequiis intererant quadraginta duo Cardinales, funus ejus comitante universo populo, qui in uberimas lacrimas effusus patriæ, & pauperum Patrem deplorabat: nihilominus eidem crimini datur, quod plus æquo Judæos protexerit, hac enim de re Sadoletus illum redarguebat in quadam epistola typis impressa.

§. XV.

*Prosper Sanctacrucius Cardinalis  
mortuus.*

*Ciac. p. 590.  
Pallav. hist.  
Conc. Trid.  
passim. Sadolet  
elog. Card.  
Justiniani  
hist des  
Kveg. de  
Tivoli.*

Tertio loco inter defunctos Cardinales recensendus venit Prosper Sanctacrucius Romanus Tarquinii Sanctacrucii Consistorialis Advocati filius anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo decimo tertio, vel juxta alios Scriptores decimo quarto die vigesima quarta Septembris natus, qui jam anno ætatis suæ septimo Pauli Ugolini magisterio traditus in latini, græcique idio-



idiomatis peritia tantos progressus fecit, ut vix duodecimum ætatis suæ annum egressus jamjam Isocratis orationem latine redderet: decimo autem tertio ætatis suæ anno, cum circa annum Christi millesimum quingentesimum vigesimum septimum pestilentia vis Romanam Urbem depopularetur, Prosper suo Patre, ac Matre orbatus omnibus suis spoliabatur, unde piam suorum amicorum, qui Patri suo sanguine juncti erant, opem implorare coactus fuit, & præcipue ad Antonium Urfinum Gravinæ Ducis Fratrem confugerat: transactis autem in paupertate annis amicitiam cum Antonio Theobaldo Ferrariensi contraxerat, a quo etiam plurimi habitus, ac beneficiis cumulatus ad jurisprudentiæ studium incitabatur: eapropter ipsius consilium secutus Magistrum sibi elegit Zannechinum, qui Patavii juris scientiam publice profitebatur. Postea ad preces Hieronymi Veralli, qui tum apud Venetos Nuntius erat, Prosper a Paulo III. sacri Senatus Advocatus renuntiabatur, hinc Patavium regressus utriusque juris lauream Doctor emeruit: inde Romam redux, ac plurium Cardinalium benevolentiam sibi concilians ab eis potenter protegebatur, variis beneficiis honoratus, porro tunc temporis annum ætatis

Sæcul. XVI.  
A.C. 1589.



Sæcul. XVI. ætatis suæ vigesimum tertium agebat,  
A.C. 1589. anno autem vigesimo octavo Auditor  
 Rotæ nominatus Alexandrum Farnesium in Germaniam comitabatur, atque in hoc itinere hujus Cardinalis gratiam adeo dextre sibi devinciebat, ut ab eo temporis momento hic Prosperum omni officiorum genere cumulare unice intentus esset.

Dein a Paulo III. Chysamensem Episcopatum in Creta obtinuit, atque ab eodem Pontifice postea Sedis Apostolicæ Nuntius in Germaniam, Lusitaniam, Hispaniam, ac denique in Gallias decretus, ibidem tantam nominis sui famam comparabat, ut ad Catharinæ Medicæ Reginæ sollicitationem a Rege ad Arelatensem Archiepiscopatum, & demum regnante Pio IV. Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo quinto ad Romanam Purpuram nominaretur, ubi etiam in concilianda pace inter Hispaniæ Regem, & Antonium Navarræ Regem operam suam impendit, egitque de reparandis damnis, quæ Navarrus ob ditiones ab Hispanis occupatas perpeffus erat: præterea Prosper Sanctacrucius arcanorum Regni Gallici participes factus, e Francia Romam nonnisi sub Pontificatu Pii V. redierat, ubi etiam Presbyter Cardinalis, necnon Albanen-



banensis Episcopus renuntiatus est. **Sæcul. XVI.**  
 Tandem Romæ die sexta, vel juxta **A.C. 1589.**  
 aliorum sententiam, septima Octobris  
 hoc anno, ætatis suæ septuagesimo  
 sexto mortalitatem exiit in Ecclesia  
 sanctæ Mariæ Majoris sepultus. Scri-  
 psit quædam opuscula, atque inter alia  
 decisiones Rotæ Romanæ, & gallica-  
 rum rerum commentarium: insuper po-  
 steris reliquit epistolas ad Fridericum  
 Nauseam, aliosque eruditos Viros scri-  
 ptas, necnon Constitutiones, & de-  
 creta circa Lanificii officinam a Sixto V.  
 Romæ erectam, præter varias oratio-  
 nes, & tractatum nondum typis impres-  
 sum de Legati Officio, qui Codex Ro-  
 mæ in Jesuitarum Bibliotheca asser-  
 vatur.

## §. XVI.

*Michaelis Baji fatum.*

Post controversias inter Jesuitas, & *Miræus*  
 utramque Facultatem Lovanien-<sup>e'log. p. 34.</sup>  
 sem, & Duacensem motas Michael Ba-<sup>Valer. Bibl.</sup>  
 jus Doctor nonnisi exiguo temporis spa-<sup>Belg. Ba-</sup>  
 tio vita superstes fuit; decessit enim hoc  
 anno die decima sexta Septembris se-<sup>jana p. 242.</sup>  
 ptuaginta septem annos natus, post-  
 quam per quindecim annos Facultatis  
 Decanus, & per quadraginta omnino  
 Theologiam publice professus erat.  
 Sepultus is est Lovanii in Collegio Pon-  
 tificio,



Sæcul. XVI. A. C. 1589. tificio, cujus Rector, seu Præses per triginta novem annos exstitit: porro Joannes Bernarius Mechliniensis Jurisconsultus defunctum oratione funebri honorabat.

## §. XVII.

*Joannis Stephani Durantii extrema.*

*Thuan. l. 95.  
Dupin. Bibl.  
Sæc. XVI.  
part. 4.  
pag. 414.*

Priusquam Michael Bajus decederet, Joannes Stephanus Durantius primus Tolosani Senatus Præses obiit, die decima Februarii Tolosæ anno ætatis suæ quinquagesimo sexto trucidatus, prout ante meminimus. Hic vix annum decimum septimum egressus, jamjam cum ingenti applausu Caussidicum agebat, ac per plures annos cum æquali felicitatis successu hoc munus obibat, postea in Tolosana Curia Advocatus Generalis, ac demum primus Præses renuntiatus. Verum temporum iniquitate plurimis jactabatur adversis; quippe foederatis, qui in Occidania numero præstabant, ac Tolosæ firmam sedem figebant, sese cum aliis opponebat. Ceterum hic idem, omni tamen ratione destitutus, se Guilielmo Durantio Mimatensi Episcopo, qui latino suo tractatu de divinis Officiis adeo celebrem sese reddidit, sanguine junctum esse jactitabat: imo referunt nonnulli, quod

Stepha-



Stephanus, ut huic Præfuli in omni-  
 bus similem sese redderet, ac illum,  
 quantum negotiorum diversitas permit-  
 tebat, tanquam omnium actionum sua-  
 rum normam sibi præfigeret, latinum  
 tractatum de sacris ritibus, qui omnium  
 manibus teritur, conscripserit: at longe  
 vero similis videtur, quod hic li-  
 ber ex calamo Petri Danesii Vauren-  
 sis Episcopi profluxerit, ac Durantius il-  
 lum duntaxat emendaverit, quippe hu-  
 jus Præsidis animus longe aliis, gra-  
 vioribusque negotiis erat intentus,  
 quam ut ejusmodi libri a dignitatis suæ  
 ratione tantopere alieni elucubrationi  
 vacare potuisset, si tamen quoddam  
 temporis momentum inter tam amplas  
 occupationes ipsi reliquum erat, illud  
 sedulo dicabat concinnandis jurispru-  
 dentiaë libris, quorum eruditio, scri-  
 bendique ratio sat manifeste prodit, li-  
 brum de ritibus longe alterius ingenii  
 partum exstitisse: de cetero hunc ipsum  
 tractatum nondum typis impressum sibi  
 vendicabat Durantius, dum Vauren-  
 sis Episcopi Bibliothecam coemerat, illum-  
 que typis edendo sibi honorem conci-  
 liare nitebatur. Ceterum Durantius  
 Religiosos Viros summo studio prote-  
 gebat, ac Tolosæ duas sodalitates, qua-  
 rum prima de Spiritu sancto, altera au-  
 tem de misericordia nomen adepta est,  
*Hist. Eccles. Tom. I.I.* C insti-

Sæcul. XVI,  
 A.C. 1589.



Sæcul. XVI.  
A.C. 1589. instituit, illaque ad pauperes Virgines in honesto matrimonio collocandas, hæc vero ad pauperes captivos consolandos, adjuvandos, protegendos, que erecta est: insuper præter Pœnitentium Sodalitatem ab eo institutam Tolosæ Jesuitarum Collegium erexit, & Fratres Cappuccinos ex Italia evocavit.

## §. XVIII.

*Henricus Mollerus, & Martinus Crommerus mortui.*

*Thum. l. 96.*  
*Konig Bibl.*  
*Mir. de*  
*Script.*  
*Sæcul. XVI*  
*Hartkonok*  
*de orig. Re-*  
*lig. Christ.*  
*in Prussia.* Eodem hoc anno die vigesima sexta Novembris Henricus Mollerus Theologus inter suos sat celebris, atque Hebraici sermonis peritissimus anno ætatis suæ circiter sexagesimo naturæ debitum solvit: natus is erat Hamburgi, in Hassia vero Theologiam professus commentarium in Isaiam, & Psalmos præter quædam carmina conscripsit.

Insuper Martinus Crommerus hoc anno non sine proborum luctu fati functus est. Erat is Sigismundo secundo Poloniæ Regi a secretis, ac postea Warmiæ in Borussia Episcopus: successerat enim in hac Ecclesia Cardinali Hosio, uni ex Legatis Pontificiis ad Synodum Tridentinam decretis: porro Martinus inter eruditos ingens sibi nomen comparabat eleganti sua Historia de Poloniæ rebus, quam triginta libris comprehen-



prehensam ab anno Domini quingentesimo quinquagesimo usque ad annum Salutis nostræ millesimum quingentesimum quadragesimum octavum produxit, scripsitque alium tractatum de *situ Poloniae, & gente Polonica*, præter alia quædam opuscula dogmatica contra Protestantés, inter quæ præcipue celebrantur quatuor libri colloquiorum, seu dialogorum de vera, & falsa Religione, necnon dissertatio de Sacerdotum cælibatu, præter alia quædam opera. Tandem Crommerus, postquam suis consiliis patriæ suæ præclara præstiterat obsequia, eamque quamplurimis lucubrationibus illustraverat, senio confectus hoc anno redemptionis nostræ millesimo quingentesimo octogesimo nono die decima tertia Martii animam Deo reddidit, ejusque Episcopatus conferebatur Battorio Cardinali, qui Andreæ Battorii filius, ac Stephani poltremi Poloniæ Regis Nepos erat.

## §. XIX.

*Andreæ Dudithii Quinqueecclesiensis Episcopi interitus.*

Die decima quinta, vel juxta alios, *Thuan. l. 96. Sand. Bibl. Antitr. p. 61.* vigesima tertia Februarii celebris Andreas Dudithius morte ereptus est. Hic meritorum suffragio ad Tinnensem, & postea ad Quinqueecclesiensem

Sæcul. XVI.  
A.C. 1589.



Sæcul. XVI.  
A.C. 1589.

Vid. Lib.  
CLVIII.  
S. XXXIX.

fem Episcopatum in Hungaria evectus in Concilio Tridentino, ad quod ab Hungariæ Clero illum fuisse deputatum supra memoravimus, admodum spectabilem sese reddebat, (cumque in variis negotiis sibi demandatis haud vulgaria Domui Austriacæ obsequia præstitisset, sibi ad primas dignitates aditum pandebat: cum autem iniquissimo profuso fato eo tempore, quo in Sigismundi Augusti Poloniæ Regis aula Legatum agebat, ab hæreticis seductus esset, ad tantam insuper animi imbecillitatem prolabebatur, ut obscæni amoris, quo flagrabat, violentiæ resistendo impar, his illicis captus omnino Religionem Catholicam abjiceret: priusquam vero ad tantam insaniam deveniret, quicquid ingenii sui acies eidem suggererat, sedulo impendit, ut Concilii Tridentini Patres ad connubium Sacerdotibus permittendum induceret: ast spe sua frustratus, atque aliunde huic sacro confessui de fide suspectus in Poloniam rediit, ubi Sophiam Genesillam duxerat, ex qua brevi filium suscepit, a quo tamen progressu temporis plurimas vexationes tolerare cogebatur, præterquam quod ob sacrilegum hoc facinus, uti haud temere conjicere licet, Cæsaris gratia excideret, quamvis Maximilianus cognitis hujus Viri meritis, eundem



dem pristino favore complectens per-  
mitteret, ut tanquam Orator in Polo-  
nia adhucdum subsisteret: verum So-  
phia paulopost decedente Dudithius,  
qui se continentiae dono carere arbitra-  
batur, ad secundas nuptias convola-  
bat, sibi Tarnowiskii Comitis Viduam  
desponsans, mox autem summus Pon-  
tifex compertis hisce sacrilegis nuptiis  
Dudithium Romam evocabat: cum ve-  
ro ibi non compareret, illum anathe-  
mate percussit: ast Dudithius hæc ful-  
mina flocci habens Cæsaris patrocinio  
se tutum existimabat: insuper mortuo Si-  
gismundo Augusto omne studium im-  
pendit, ut Ernestus Cæsaris Filius in  
Successorem eligeretur, præpedire ta-  
men haud poterat, quin Henricus Va-  
lesius nominaretur, prout antea memi-  
nimus: nec magis prosper ejus conati-  
bus adspirabat successus, dum post Hen-  
rici discessum rursus Poloniae Scep-  
trum augustissimæ Domus Austriacæ Prin-  
cipi vindicare nitebatur.

Ceterum toto, quo in Polonia mo-  
rabatur, tempore tam diversas de Re-  
ligione opiniones adoptabat, ut singu-  
lis ferme diebus alterius sectæ larva  
contectus incedere videretur: nunc enim  
Lutheranum, vel Calvinistam, nunc  
virum nulli Religioni addictum, modo  
vero Unitarium, jam Deistam, & Li-



Sæcul. XVI.  
A.C. 1589.

bertinum profitebatur, ac infuperhabita hac sectarum varietate tanquam regulam adoptabat, quod nullus, qui sincere, & absque factiones conflandi animo in veritatis semitam inquirat, redargui valeat, nec legum severitate puniendus sit ille, qui ferventibus tunc altercationibus erroneam opinionem propugnat, dummodo nec pertinax, nec seditionis concitandæ studiosus videatur: interim majori studio Unitariorum sectæ addictus credebatur, eapropter ut quicquid in hujus hæresis favorem, facere vellet, eo liberius proferre, vel agere posset, omnibus suis bonis in Hungaria divenditis consentiente Rudolpho Cæsare in Silesiam secessit, ac Wratislaviæ sedem fixit, ubi ad spargendos suos errores majori potiebatur libertate, ac satis honeste ex modico censu, quem ex pecuniis Cæsari mutuo datis percipiebat, vitam traduxerat, & Semigalliæ Ecclesiam construi, necnon Scholam, cujus ipse Rectorem, Pastorem, & Patronum agere non dubitabat, suo ære institui voluit: porro cum Theodoro Beza, aliisque Doctoribus assiduum literarum commercium circa Religionis res fovebat.

Præterea Mathematicæ scientiæ studium recolens, ut illud magis excoleret, amicitiam jam antea cum Joanne Preto-

Preto-



Pretorio de Valle Joachimica, qui in Altdorfiensi Academia Norimbergenfi Magistratui obnoxia celebris erat hujus Disciplinæ Professor, contractam innovabat: at post tam crebras vicissitudines, quibus nunc bonum, nunc malum, jam sanas, jam perversas opiniones, modo gloriam, modo contemptum alterna levitate insectabatur, tandem nonnisi duabus horis ob ægritudinem lecto affixus in conspectu suarum prolium, atque Amicorum anno ætatis suæ quinquagesimo sexto infelicem animam reddidit. Scribunt nonnulli, quod mortem suam vaticinatus, cum Pretorium datis literis circa quasdam mathematicas quæstiones in consilium vocasset, easque dissolvi petiisset, ad epistolæ suæ calcem hæc verba addiderit: „die decima quinta hujus Mensis, scilicet Februarii, erit in Luna eclipfis „in Aquarii signo, quod est meus Horoscopus: porro si Astrologiæ scientia „veritati innititur, hic eventus mihi „mortem, vel gravem infirmitatem præ- „nuntiat. Quid tibi hac in re videtur? „ Insuper addunt nonnulli Scriptores, quod quemdam pauperem, cui alias eleemosynas erogare assueverat, accersiri, suo famulo præceperit, eo autem referente, quod nullibi reperiri potuerit, Dudithius responderit: „forte cra-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1589.

C 4

„stina



**Sæcul. XVI.** „stina die huic pauperi eleemosynam e-  
**A.C. 1589.** „largiri haud potero.„ Denique, cum  
 a quodam amico coenatum venire roga-  
 retur, hoc obsequium acceptare recu-  
 sans aiebat: „in alio loco mihi coenan-  
 „dum est, mortis enim meæ tempus  
 „appropinquat:„ mox ad lectum se de-  
 mittens suos amicos rogabat, ne eum  
 desererent, ubi postea de Religione, &  
 virtute juxta Platonis Philosophi prin-  
 cipia differens animam evomit.

§. XX.

*Andreae Dudithii opera.*

**Sandius l. c.** Hic idem plurima elucubravit opera,  
**pag. 62.** quorum tamen potissima pars de  
 Religionis controversiis agit: porro jam  
 alibi mentionem fecimus de duobus  
 sermonibus Hungariæ Præfulum nomi-  
 ne in Concilio Tridentino ab eo pro-  
 nuntiatis, qui mox Tridenti, ac postea  
 iterato prælo Offenbachii excusi, ac  
 politicis adnotationibus aucti prodie-  
 runt: insuper alibi recensuimus ejus-  
 dem Scriptoris versionem latinam vitæ  
 Cardinalis Poli: præter hæc autem opu-  
 scula exstant adhuc plures hujus Docto-  
 ris epistolæ, quæ inter Monucii literas  
 reperiuntur: denique reliquit plurimas  
 alias epistolas ad Germaniæ Theologos  
 inscriptas, quæ partim nondum typis  
 editæ, partim in Fratrum Polonorum  
 Biblio-



Bibliothecam infertæ habentur, ac vel- Sæcul. XVI.  
 uti totidem sunt apologiæ Socinianæ A.C. 1589.  
 hæresis, cui Dudithius plurimum ad-  
 dictus erat, ubi innumeros pene er-  
 rores circa SS. Trinitatis mysterium  
 spargebat, quos ex Bernardini Ochini,  
 quocum Dudithius literarium commer-  
 cium fovebat, dialogis mutuassee facile  
 deprehenditur: insuper hic idem, si San-  
 dio fides, scripsit de SS. Trinitate, ad-  
 dit tamen idem Auctor, quod hoc opus  
 nondum publicam lucem aspexerit: in-  
 terim ipsemet Dudithius observationes  
 suas edidit, quæ veluti sunt notæ in  
 Fausti Socini disputationem circa Ba-  
 ptismum fluminis: inde vero arrepta  
 occasione Joannes Wolffius Tigurinæ  
 Ecclesiæ Pastorculus suam epistolam  
 anno Christi millesimo quingentesimo  
 sexagesimo nono Cracoviæ in die Pen-  
 tecostes datam vulgabat. Ceterum  
 Dudithius Anno Salutis nostræ mille-  
 simo quingentesimo septuagesimo die  
 prima Augusti ad Theodorum Bezam  
 perscripsit epistolam, in qua hanc agit  
 quæstionem, an Ecclesiæ nomen soli  
 Ecclesiæ Reformatæ competat: hæc  
 epistola Anno post Christum natum mil-  
 lesimo quingentesimo nonagesimo ter-  
 tio Heidelbergensibus literis excusa pro-  
 diit: denique anno Domini millesimo  
 quingentesimo septuagesimo primo ad



Sæcul. XVI  
A. C. 1589.

Joannem Loscium Polonicum Optimatem de Sanctissima Trinitate epistolam exarrabat, quæ postea in Gomari Bibliotheca typis impressa, anno a partu Virginis millesimo sexcentesimo sexagesimo octavo belgice reddita fuit.

§. XXI.

*Badense colloquium circa Religionem.*

*Spond. ad  
hunc ann.  
num. 33.  
Melch.  
in vit. Theo-  
log. Germ.*

Jam antea Joannes Pistorius in Hassia natus, qui antea Lutheri sectam profitebatur, ab ejuratis suis erroribus ad veræ Ecclesiæ sinum redierat, hoc autem anno in Germania disputatio habebatur inter eundem Pistorium, & Jacobum Andream Schmidelinum, ejusdemque sectæ Socios Tubinganos, quibus Fridericus Mombelgaricus Comes præerat: Pistorius autem, ejusque Socii tanquam Præsidem habebant Jacobum Badensem Marchionem, qui quamvis Lutheranus, cum tamen vacillaret, ut conscientiæ suæ quieti consulere, hanc disputationem institui postulabat: cum ergo hæc concertatio instituta esset de Ecclesia, verisque ejusdem signis ex ipso sacro Codice comprobandis, Schmidelinus a Pistorio suo adversario ad tantas redigebatur angustias, ut cunctos hæreticos in Ecclesia comprehendi, fateri cogeretur, ac insuper, ut se extricaret a proposito argumen-



gumento, ad alia quaquaversum diva-  
gari compelleretur, unde colloquium  
abrumpere oportebat, cujus tamen acta  
Catholici auctoritate Badensis Marchio-  
nis Colonix imprimi curabant: ipse  
vero Marchio abdicata Lutheri hæresi  
Catholicam fidem amplexus paulopost  
nonnisi viginti octo annos natus ani-  
mam Deo reddidit. Vicissim Tubin-  
genses hujus disputationis acta ibidem  
vulgabant, sed innumeris mendaciis,  
atque imposturis referta: porro Jaco-  
bus Andreas dictus Schmidelinus, seu  
faber paulopost die septima Januarii an-  
no Christi millesimo quingentesimo  
nonagesimo, ætatis vero suæ sexagesi-  
mo secundo periit, postquam scripse-  
rat plura opuscula, quorum præcipuum  
est liber de concordia. Referunt Scri-  
ptorum nonnulli, quod Schmidelinus  
morti proximus cognita doctrinæ a se  
traditæ falsitate ad Ecclesiæ finem re-  
versus fuerit: verum id Protestantes  
omnino negant. (\*)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1589.

§. XXII.

(\*) Ejusdem Pistorii Nidani epistolam ad-  
modum solidam de Ecclesiæ veritate scriptam  
jam adduximus in Præfatione ad Tomum  
XXXVI. seu Continuationis Tom. XII.



Sæcul. XVI.

§. XXII.

A.C. 1589.*Aquisgranense dissidium inter Catholicos, & Protestantes.*

*Thuan. l. 96.* **I**nsuper alia Aquisgrani Catholicos inter, & Protestantes altercatio suscitabatur, qua hujus Urbis tranquillitas plurimum turbata fuerat; cum enim hæc civitas Belgio vicina esset, & ob privilegia a Carolo Magno Imperatore concessa ingenti, amplaque frueretur libertate, hinc omnes Protestantes Belgæ ex sua patria ob sectam ejecti ad hanc urbem confugerant, rebusque suis eo transvectis ibidem firmam sedem fixerant, adeo, ut Catholicis numero plurimum prævalerent, eisque leges præscribere auderent: hac autem potentia freti ad fundendas pro more suo preces, suorumque Ministrorum declamationes percipiendas cætus habere propria auctoritate incipiebant: verum Cæsar æquis Catholicorum querelis deferens severa admodum edicta contra Protestantes promulgabat, quorum tamen executionem hæreticorum petulantia vix non eludebat: postea vero Parmensis Dux Catholicorum patrocinium in se suscipiens Philippum II. Hispaniæ Regem eo induxit, ut pariter contra Belgii Protestantes Aquisgranum profugos edictum quoddam promul-



mulgaret. Annuit Rex, eisque in hoc Sæcul. XVI.  
A.C. 1589.  
 edicto exprobrabat, quod spretis Cæsaris mandatis contra pacta, quæ de veteri Religione facta, testaque servanda, nec aliis novis admittendis cum ipso inierant, nunc Catholicam, Apostolicam, Romanam religionem abolere, perniciosamque Calvinianam sectam, aliasque novas introducere, Senatūque ex hominibus suæ factioni addictis constituere, necnon subditos ipsius e Belgio exulantes recipere præsumpissent.

## §. XXIII.

*Philippi II. edictum contra Protestantē  
 tes e Belgio Aquisgranum  
 confugientes.*

Propter has, aliasque rationes Thuan. *ibid.*  
 Philippus Rex eisdem denunciabat, quod eis privilegia omnia, libertates, immunitates, quæ a Brabantia, & Limburgi Ducibus acceperunt, adimeret: insuper declarabat, quod tunc, dum subditis suis e Belgio discedendi, & in locis liberis, atque neutri parti addictis habitandi, ac bonis suis fruendi potestatem fecit, nunquam hujus opinionis fuerit, ut in urbe Aquisgranensi commorari possent: itaque mandabat Rex, ut aut domum redeant, Majorum in Religione ibidem victuri, aut  
 saltem



Sæcul. XVI. A.C. 1589. saltem Aquisgrano excedant, atque alio commigrent intra quadraginta dies qui post publicationem edicti Antverpiæ, & Trajecti factam computarentur alioquin fore minitabatur, ut bona eorum, quæ in Belgio possident, tanquam perduellium ærario publico addicantur.

Verum hoc edictum graves concitabat tumultus, quippe Principes Protestantes ad Cæsarem quosdam rogatum ablegabant, ut hæc dissidia sopire vellet: ast Cæsarea sua Majestas respondit, quod vel ipsamet eorum postulatis satisfacere, vel desuper suis Deputatis curam committere velit: interea Cæsar ad Philippum hac super re literas dabat, eundemque de perversa Protestantium Ordinum mente eo fine certiore reddebat, ut is, quantum in ipso esset, malo indies magis, ac magis crescenti remedium opponeret.

Iisdem quoque Deputatis erat injunctum, ut apud Cæsarem pro Argentinensibus Canonicis deprecarentur, eumque rogarent, quatenus is, ne ob reditus Catholicis ablatos censuris urgerentur, præpedire vellet, juberetque, ut hoc dissidium per Deputatos neutri parti suspectos amica via componeretur, præcipue vero Austriaci, & speciatim Vienneses Ordines petebant, ut Augustanæ Confessionis libera professio,



atque  
a dies  
ntver  
rentur  
na eo  
quam  
cantur  
conci  
s Pro  
gatum  
e vel  
pondit  
satis  
tis cu  
Cæsar  
as da  
Prote  
e cer  
n ipso  
gis ex  
  
at in  
Argen  
entur,  
ne ob  
is ur  
beret  
utatos  
ompo  
ci, &  
ebant,  
a pro  
fessio,

fessio, sicuti ceteris Germaniæ Ordini-  
bus, ipsis concederetur, verum eorum  
petitiones Cæsar generali responso elu-  
sit, cum amplius de iis cum suo Senatu  
deliberandi spatium sibi concedi po-  
stularet.

## §. XXIV.

*Nova secta in Syria, ac seditio Con-  
stantinopoli suscitata.*

Hoc item anno Syria vehementibus  
agitabatur motibus ob novam Ma-  
hometanorum sectam, quæ Amurathem  
Turcarum Imperatorem in magnas con-  
jecerat angustias; jam enim hæc pe-  
stis per universam Palæstinam usque  
ad Ægyptum sese diffuderat: igitur in  
hos rebelles Assan Janissarorum, seu  
Prætorianæ cohortis Præfectus, una-  
cum classe ad hanc expeditionem in-  
structa movere jubebatur: interea vero  
hi iidem Prætoriani tam Amurathi,  
quam imperiali ipsius Metropoli exci-  
dium, ruinamque minitabantur, nisi  
Ibrahimum ipsius Sultani clientem, ac  
Romanæ Præfectum eis consignaret:  
porro hac petitione Sultanus novis ob-  
ruebatur curis. Hic idem Ibrahimus ni-  
mia, qua Imperatoris animo domina-  
batur, auctoritate sibi omnium Mini-  
strorum invidiam, odiumque accerse-  
bat, unde hi in ejus excidium conspi-  
rabant;

Sæcul. XVI.  
A.C. 1589.  

---

  
*Thuan. l. 96.  
Meyer. con-  
tin. de l'hist.  
de Turcs de  
Chalc. t. 3.*



Sæcul. XVI.

A.C. 1589.

rabant, quippe præterquam, quod hic infelix iniqua fane dexteritate aliena bona sibi vendicare nossent, in supermetam adulterandi, & decurtandi artem inveniebat, unde stipendia militum, aliorumque Ministrorum salaria plurimum imminuebantur: hac ergo occasione ejus adversarii opportune utentes in ipsum Prætorianos concitabant, quorum ad quinque millia facto agmine palatium regium circumstant, quarta nonas Aprilis Ibrahimum ad poenam deposcentes, petentesque, ut rei monetariæ vitium emendaretur. Ad subitum strepitum Sultanus excitatus, licet amplissimis promissis eos placare satageret, illos tamen adeo non continere poterat, ut etiam jamjam extrema moliri parati essent, quapropter Amurathes habito cum fidelioribus Ministris consilio sese flectere passus, invitatus licet, carissimum clientem suum eis tradidit, quem Prætoriani quanto citius spectante innumera populi frequentia capite truncarunt.

## §. XXV.

*Judæi vexati, eorumque cedes combustæ.*

*Thuan. l. 96.* Vix sopita erat hæc Prætoriani militis seditio, cum illico non minus fatalis succederet eventus, ad quem ansam præ-



præbuisse credebantur illi, qui Amurathem sui clientis necem ulturum veriti novis turbis materiam quærebant, ut per eas prioris motus memoriam dele- rent, quippe igne sive injecto in Judæi domum, sive fortuito enato, late in- cendium in vicinas Judæorum domos spargi cœpit, cum vero eorum opes te- loneis, & portoriis a Sultano redemptis in immensum crevissent, quibus jam pridem prætoriani, genus hominum præ- dæ avidum, inhiabant, hinc ad eum ca- sum quasi classico vocati accurrunt, aut ex incendii occasione judæorum domos expilaturi, aut eo restincto propter suam diligentiam præmium acceptaturi: igitur deleto eorum solertia incendio, cum donum a suo Belliduce poscerent, hic vero illud perfracte ipsis negaret, ac insuper recentem seditionem illis amare exprobrans eorundem protervia factum assereret, ut ignis accenderetur, mox Janissari hac interpretatione exacerbati pristinos animos resumunt, & ignem extinctum jam aperte accendunt, qui ventilante aura glomeratus, cum nemo propter prætorianorum insolentiam au- xilio accurreret, tria millia domorum brevi tempore depastus est: porro inde ad prædam versi, Hebræorum domos diripiunt, & nullo non avaritiæ, & li- bidinis genere in obvios quosque sæ-

*Hist. Eccles. Tom. LI.*

D viunt

Sæcul. XVI.  
A.C. 1589.



**Sæcul. XVI.** viunt, nec Bosniæ Præfectus, seu Ba  
**A.C. 1589.** fa a Sultano in opem missus furentium  
 militum licentiam reprimere valuit, in  
 cendium tandem restinquebatur non  
 ope humana, sed ponente vento, &  
 dirutis vicinis domibus, cum non ha  
 beret, unde aleretur, quinquies te  
 men centies aureorum millibus ja  
 ctura ea æstimata fuit.

## §. XXVI.

*Mauri Tripolitani in Turcas seditio  
 nem conflantes.*

*Tab. 1. 96.*

**N**equid calamitatum cumulo deesset  
 Mauri etiam Tripoli, & in Barba  
 ria habitantes Mense Junio seditio  
 contra Turcas mota illos urbe expelle  
 bant, cæsis eorum quamplurimis: In  
 vero, qui hanc lanienam evaserant, ad  
 vicinam munitionem se receperunt.  
 protinusque Constantinopolim quosdam  
 miserunt, qui, quid actum esset, de  
 cerent, & auxilia adversus rebellantes  
 Mauros quamprimum, antequam ma  
 lum latius serperet, submitti peterent.  
 Vicissim Mauri Melitam ad Hierosoly  
 mitani Ordinis Principem scribunt, &  
 suppetias adversus Turcas postulant, fi  
 dem, & obsequium jurato polliciti, si  
 contra communem hostem defenderentur,  
 atque in ejus præsidium reciperentur:  
 itaque a supremo Ordinis Magistro, qui



qui tum Hugo Verdalius vocabatur, missus fuit Beccaria eques, ut coram de rerum statu cognosceret, & siquid ad res Turcarum turbandas ex hac occasione lucrari possent, pertentatis Afro- rum voluntatibus, ac opibus diligenter inspiceret: interim Assan prætoriano- rum Præfectus majore feditionum parte classi imposita, Syria omissa in Africam descendit, ubi tandem Mau- ros tum minis, tum astu, ac dexteri- tate sua ad obsequium revocabat: qua- propter Eques ab Ordinis Magistro de- cretus re infecta reverti cogebatur.

Hoc item anno idem supremus Ma- gister Jacobo Bosio negotium dabat, ut Ordinis Melitensis historiam jam a Jo- annis Antonii Fossani regimine inchoa- tam proficeretur: hic enim præ cete- ris omnibus ad concinnandam ejusmo- di historiam idoneus erat, eoquod lon- go admodum tempore ipsius hujus or- dinis negotia Romæ procurasset.

## §. XXVII.

*Sancti Antonini reliquie translatae.*

Huic anno tandem finem imponimus recensentes solemnitatem Floren- tiæ celebratam, dum transferebatur Corpus sancti Antonini, qui erat ex Or- dine sancti Dominici Religiosus, ejus- demque Urbis Archiepiscopus, atque

*Bolland. ad  
7. Maji  
p. 357. in  
append. p.  
767.*



Sæcul. XVI. anno salutis nostræ millesimo quadringentesimo quinquagesimo nono factis functus, ac ab Adriano VI. sanctorum factis inscriptus, quamvis postea primum Clemens VII. hujus Canonisationis diploma Mense Novembri anno post Christum natum millesimo quingentesimo vigesimo tertio promulgasset. Equidem jam dudum de transferendis hujus Sancti Reliquiis agebatur, ea tamen solemunitas semper usque ad hunc annum Domini millesimum quingentesimum octogesimum nonum differebatur, quo Sixtus V. rem die nona Maji cum ingenti pompa perfecerat, nam concurrebant ex Cardinalibus, atque Episcopis quamplurimi: intererat quoque tota Magni Etruriæ Ducis aula, necnon Oratores omnium Principum, qui hanc festivitatem celebrare certabant: itaque hujus sancti Corpus, cujus omnes partes, excepto cerebro, & visceribus, adhuc penitus integræ reperiiebantur, in novam arcam recondebatur subtus Altare cujusdam magnifici sacelli, quod in hujus sancti venerationem in Ecclesia sancti Marci Ordinis sancti Dominici Everhardus, & Antonius Salviatus duo germani Fratres non ita pridem extrui curarunt, quibus etiam Pontificio diplomate speciaticim hac de re concessio pretiosi hujus



ius pignoris custodia fuit demandata: Sæcul. XVI.  
A. C. 1590.  
fertur tamen, jam prius quasdam ab  
hoc corpore particulas fuisse separatas,  
si tamen genuinæ sunt hujus sancti Re-  
liquiæ, quæ sub ejus nomine Monaste-  
rii in Ecclesia Jesuitarum exhibentur.

## §. XXVIII.

*Lucemburgicus Dux Romam ingres-  
sus, ac cum Papa collocutus.*

Interea cum Foederati in Francia sese  
Regis victoriis opponerent, Franci-  
scus Luxemburgicus, quem Henricus  
IV. Pontificis mentem hac super re ex-  
ploratum Romam miserat, octava Ja-  
nuarii die anno redemptionis nostræ  
millesimo quingentesimo nonagesimo  
ibidem advenit, atque in primo, ad  
quod admissus erat, colloquio Sanctitati  
suæ hæc exposuit: „A regiæ profapiæ  
„Principibus, tribunis equitum, aliis-  
„que primariis Regis ministris, ac Re-  
„gni Proceribus Catholicis delegatus  
„sum, ut suæ sanctitatis pedes deoscu-  
„larer, eique tanquam summo Pontifici,  
„Christi in terris Vicario, & beati Petri  
„successori pia, & humili devotione  
„debitos honores deferrem, simulque  
„mandata mea aperirem, quæ eo ten-  
„dunt, ut Sanctitas sua intelligeret, qui-  
„bus rationibus inducti illi, a quibus  
„missus sum, Henricum Borbonium in

*Thu. l. 98.  
Davi. hist.  
des guerr.  
civil. de  
France l. 11.*



Sæcul. XVI. „Regem Franciæ adscivissent, quam  
 A.C. 1590. „quam ægre, & summo cum dolore fa-  
 „ctum esset, ut Regem agnoscerent  
 „eum, qui aliam ab ipsis religionem pro-  
 „fiteretur, & nuper diplomate Pontifi-  
 „cis proscrip- tus, ac Ecclesiæ censuris in-  
 „retitus esset: attamen in præsentis gal-  
 „lici Regni vicissitudine, ac statu Pro-  
 „ceres ad hoc consilium coacti sunt,  
 „postquam enim deplorando prorsus fa-  
 „cto Henricus III. fuerat trucidatus, tam  
 „crebra undique observabantur pericu-  
 „la, quibus ob dissensiones tam ipsa  
 „Religio, quam Francia erat exposita,  
 „quin ulla alia via, quam Henrici Bor-  
 „bonii electione, utraque facta confer-  
 „vari posset.,,

## §. XXIX.

*Hujus Ducis rationes in Henrici IV.  
 favorem expositæ.*

**H**is addebat Lucemburgicus: „hac  
 „ratione Navarrus Rex præpedie-  
 „batur, ne Calvinistis suum diadema in-  
 „acceptis referre cogeretur, sed potius  
 „ultronea obsequii, ac debitæ submissio-  
 „nis pollicitatione Catholicis devince-  
 „retur, simulque per iteratas preces in-  
 „duceretur, ut tandem ad Ecclesiæ si-  
 „num Christianæ fidei præceptis imbu-  
 „tus rediret: hæc enim erat via ad ejus  
 „conversionem urgendam omnium effi-  
 „caciffi-



Sæcul. XVI.  
A.C. 1590.

„cacissima, præcipue cum ad ample-  
 „ctendam religionem veram oppido pa-  
 „ratus videatur: ex aduerso autem, si  
 „ab ejus partibus recessissemus, cæco  
 „fato hæreticorum voluntati nos relin-  
 „quere oportuisset: porro fœderis Du-  
 „ces nonnisi privatis aguntur studiis,  
 „& tantum ementito religionis, ac pie-  
 „tatis nomine peruersas suas machina-  
 „tiones contegunt, quo obtentu freti  
 „varia procudunt consilia, ut legitimo  
 „hæredi diadema eripiant, illudque aut  
 „cuidam extero Principi imponant, seu  
 „regnum in diversas partes distrahant:  
 „hæc vero agendi ratio ab omnibus le-  
 „gibus tam humanis, quam divinis  
 „damnatur, proin abs dubio religioni,  
 „sacræque sedi summopere nociva est:  
 „insuper hac via si incedatur, pericu-  
 „lum imminet illud regnum perdendi,  
 „quod tamen semper Ecclesiam poten-  
 „ter protexit, cum postea illud Princi-  
 „pum, qui viribus debiles, resistendo  
 „impares, ac tyrannidi assueti forent,  
 „dominio assereretur, vel immoderatæ  
 „Hispanorum potentia non sine extre-  
 „ma populorum oppressione subjicere-  
 „tur: absit ergo tam atrocem tolerare  
 „injustitiam: longe ergo magis univer-  
 „sæ Christianæ reipublicæ consultum  
 „erit, si Rex ad ejurandam hæresin in-  
 „clinetur, cum aliunde ad id non modo



Sæcul. XVI  
A.C. 1590.

„propensum exhibeat animum, dum  
„modo sine honoris, ac decentiæ læsio  
„ne id fiat: insuper se rerum suarum ne-  
„cessitate ad amplectendam veram fi-  
„dem adactum cernit: præterea quo-  
„tidiano experimento comprobatum ha-  
„bet, quod ipsi exiguum profus præli-  
„dium in Calvinistarum armis reposi-  
„tum sit, econtrario autem a Catholi-  
„cis Proceribus, qui ipsum semper suis  
„viribus adjuvarunt, eique adhæse-  
„runt, validam spem sibi polliceri va-  
„leat: rogamus itaque Sanctitatem ve-  
„stram, ut hæc rationes boni, æqui-  
„que consulat, atque ad florentissimi  
„hujus regni salutem eo studio, ac pru-  
„dentia, quam semper hucusque testa-  
„tam fecit, concurrere velit, cum ni-  
„hil magis Deo gratum, ac sibi metip-  
„sæ magis gloriosum, nec etiam muneris,  
„quo fungitur, excellentia magis di-  
„gnum præstare valeat.

## §. XXX.

*Papa his rationibus convictus decisio-  
nem differt.*

Thu. l. 98.  
Dav. l. 11.

Præter hæc Luxemburgicus ista sub-  
junxit: „nullatenus Sanctitas vestra  
„in animum inducat, quod Catholici  
„regis studiis addicti, aut viribus impa-  
„res, aut numero pauci sint; hi enim  
„potentissimam æque, ac nobilissimam  
„Franciæ



„Franciæ partem sibi conjunctam habent, ex adverso, si a foederatorum factione pauci Nobiles excipiuntur, reliqui omnes non nisi perditorum hominum colluvies sunt, quorum potissimi vitæ licentiæ dediti, effrænes, atque ex infimæ plebis fœce corrupti homines existunt: nunc vero spectatissimi Galliarum Proceres, præcipueque Episcopi regi adhærent, eo quod Henricus Borbonius eis spem fecisset, quod abdicata Calvinii hæresi ad Ecclesiam rediturus sit. Postrema hæc propositio summo Pontifici summopere placuit; plurimum enim sua interesse censebat, ne tot Catholici Proceres irritarentur, qui ob arctum inter se amicitiae vinculum difficulter ad obsequium revocari possent, cum aliunde timendum esset, ne Franciæ excidium ad augendam Hispanorum potentiam plurimum conferret: proin consultissimum fore arbitrabatur Pontifex, ut ad devinciendum Regis animum minus violenta adhiberentur remedia, ac proficuae pacis beneficio, si fieri posset, omnes subditi per bella segregati rursus inter se unirentur.

§. XXXI.

*Cajetanus Papæ Legatus Parisios veniens, ac Senatam ingressus.*

D 5

Eodem

Sæcul XVI.  
A.C. 1590.



Sæcul. XVI.  
A.C. 1590.

*Thn. l. c.  
Mem. de  
l' Etoil.  
l. 2. p. 8.*

Eodem tempore, quo Lucemburgicus Dux Romam venerat, Cardinalis Cajetanus sacrae sedis Legatus Parisinam urbem ingressus est, foederatorum animis illius praesentia plurimum erectis, ubi mox etiam Parisiensis Senatus Legationis Apostolicae diploma approbavit, atque illud die vigesima sexta Januarii ad tabulas retulit: die autem sexta Februarii hic Praesul demandatae sibi jurisdictionis literas exhibebat, quamvis illae quibusdam privilegiis, regnique libertatibus haud parum adversae viderentur. Aliquot post diebus Legatus Senatum accedens in loco alias Regi reservato confidere parabat: obstitit tamen Briffonius Praeses, qui eum rogabat, ut secundum ab ipso locum in inferiori subsellio occupare vellet. De cetero hic Legatus a Papa disertis verbis prohibebatur, ne palam Navarrae Regi obfisteret, nisi de illius ad Ecclesiam regressu conclamatum esse crederet, proin semper adhuc se neutri parti addictum ostenderet, publice autem Navarri partes tueretur, si hic Catholicam fidem amplecti polliceretur: attamen Cajetanus, cum ejus Frater Sermonettæ Dux tum Hispaniae Regis stipendia in Belgio mereretur, tantopere Hispanis favebat, ut, quam primum Parisios venerat, mox foederatorum

rum



rum studiis suffragatus se Henrici IV. Sæcul. XVI.  
A.C. 1590.  
hostem palam profiteretur, qua tamen  
imprudencia sese summo Pontifici val-  
de suspectum reddebat. Porro hic  
idem in sermone, quem ad Parisien-  
sem Senatam habebat, acerbis verbis  
in Henricum IV., & Franciæ regnum  
invectus plurimum supremam Pontificis  
potestatem extollebat.

## §. XXXII.

*Turonense edictum adversus hunc  
Legatum.*

**T**uronensis Senatus, cum Legatum a Pa- Thu. l. 98.  
risiensi curia a deo benigne exceptum  
ægre ferret, sese acriter opponens sol-  
licitante Procuratore Generali contra  
Cajetanum quoddam promulgabat edi-  
ctum his rationibus suffultum: Cardi-  
nalis Cajetanus non a Papa decretus,  
sed duntaxat re cum Henrico Gusmano  
Olivarii Comite Philippi II. apud Ponti-  
ficem Oratore communicata, in Gal-  
liam Legatus fuit destinatus, ubi ad ur-  
bes tantum a fœderatis occupatas diver-  
tit, & non petita prius more recepto a  
Rege venia regnum ingressus est, nec  
mandata sua exhibuit, & propterea Se-  
natus prohibuit, ne quis ex plebe, no-  
bilitate, aut sacro ordine cum Regis  
hostibus, ac præcipue cum memorato  
Cardinali colloqueretur, aut per se,  
vel



Sæcul. XVI.  
A.C. 1590.

vel interpositas personas cum eo ageret, sine expresso Regis mandato, donec ille juxta leges Franciæ, regni que jura, libertates, ac immunitates Ecclesiæ Gallicanæ se Regi stiterit, prout mos hætenus receptus tulit: si quis vero aliter fecerit, in perduellionis crimen sine spe gratiæ incurrisse reputetur.

Insuper sancitum, ut in ejusmodi homines Procurator Generalis inquireret: pariter injungebatur Episcopis, atque Archiepiscopis, ut censuras ad id impetratas per diœceses suas diligenter publicandas curent: præterea eodem die postulante Cognitore regio conditum est Senatus - consultum in cunctos, qui reciperent perduelles, quive belli specie publica latrocinia exercerent: porro in ejusmodi Receptores convictos pœna criminis læsæ majestatis sancita fuit, atque insuper additum, ut arces, & domus eorum, qui ejusmodi latrones, & regni hostes receptassent, solo æquarentur.

Parisiensis Senatus postquam de utroque hoc Tolosanorum edicto certior reddebatur, mox eidem morem gerere prohibebat, eo quod ejusmodi edictum a judicibus minime potestatem, auctoritatemque legitimam habentibus factum esset, hinc inhibitum, nequis ei obtemperet: præterea cunctis, cujus-  
cunque



cunque ordinis, ac conditionis sint, in-  
 junctum, ut sanctam Sedem colant, Sæcul. XVI.  
A.C. 1590.  
 ac venerentur, & Cajetano Cardinali a  
 Pontifice in Franciam ablegato, debi-  
 tam reverentiam deferant.

## §. XXXIII.

*Sorbonnæ Decretum contra Henri-  
cum IV. Regem.*

Interea ipsimet Foederati suas partes in-  
 dies decrefcere animadvertabant; plu-  
 res enim bellum, quod nec justum, nec le-  
 gitimum fore credebant, pertæsi palam  
 profiteri cœperant, quod quilibet se  
 Catholicis Regi addictis rursus conjun-  
 gere obstrictus sit: eapropter tum ad  
 firmandam suam factionem Sorbonnæ  
 patrocinium implorabant, pluresque  
 Parisinæ Facultatis Theologicæ Doctores  
 eo inducebant, ut innumeras ferme  
 propositiones in vulgus sparsas tanquam  
 falsas, atque errōneas damnarent. Ha-  
 rum assertionum præcipue erant sequen-  
 tes: I. Henricus Borbonius Regis titu-  
 lo insigniri potest, aut debet. II. Tuta  
 conscientia ejus partibus adhærere, il-  
 lique decimas, vel vectigalia persolve-  
 re, aut obsequi licet. III. Tanquam  
 Rex sub conditione, si modo sit ca-  
 tholicus, haberi potest. IV. Ponti-  
 fici jus non est Regem diris devovere:  
 etsi enim hæreticus, & relapsus, atque  
 ab



Sæcul. XVI. ab Ecclesiæ communionē segregatus sit, A.C. 1590. regnum tamen Franciæ moderandi jus habet. V. Licitum, imo & necesse est cum Bearnensi, quo nomine fœderati Regem appellitabant, & cum hæreticis fædus inire. Facultas die decima Februarii habito conventu decretum condidit, vi cuius omnibus membris, Doctoribus, & Baccalaureis præcepit, ut hæc opinioniones tanquam pestiferas, & damnandas abominarentur, quas iniquitatum operarii per orbem divulgarentur, ut simplicium mentes eo facilius decipiant.

Insuper decidebatur, quod hic Princeps tanquam Rex agnosci non possit, etsi Catholicam fidem amplecteretur: præterea etiam spargebatur, quod summus Pontifex in Cathedra divi Petri sedens quotannis feria quinta in sacra Hebdomada in omnes fautores, ac hæreticorum Protectores, & nominatim in eos, qui Henricum Borbonium tanquam Regem reciperent, anathema vibraturus esset, ut proinde tales continuo in peccato, & damnationis statu existerent. His quoque in Facultatis decreto addebatur, quod eum, qui huic præcepto parere recusaverit, Facultas Dei Ecclesiæ perniciosum, perjurum, necnon sanctæ Ecclesiæ Matri suæ rebellem declarare, & tandem etiam illum a suo corpore



corpore velut membrum putridum, quod ceteros inficeret, refecare velit: Sæcul. XVI.  
A.C. 1590.  
postea Facultas inhibuit, ne quis contra reverentiam sacræ Sedi, & Legato debitam loquatur, aut sacram Catholicorum unionem improbet. Hoc decretum postea a Legato, Parisiensi Episcopo, ac Parochis approbatum quanto-  
cius Parisiis promulgabatur unacum Papæ, & Montalti Cardinalis Papæ Nepotis literis die vigesima Octobris, & trigesima Decembris anno priori datis.

## §. XXXIV.

*Legati literæ ad Franciæ Archiepiscopos, atque Episcopos.*

Hanc in rem Legatus die prima Martii ad omnes regni Archiepiscopos, atque Episcopos hæc perscripsit, „perlatum est ad me, aliquos ex vestro ordine, fortasse etiam una omnes ad civitatem Turonense invitatos, ut de Henrico Borbonio, qui se Francorum Regem appellari jubet, in orthodoxa religione instruendo inter se conferant: id etsi aliquam pietatis speciem habeat, cum pernicie tamen, & sacræ disciplinæ periculo conjunctum videtur, nam ab illis vocantur, qui nullam habent Episcopos convocandi potestatem, præsertim cum adsit Legatus Pontificius, ad quem proprie pertinet,

*Thuan. l. 98.  
Mem. de la  
Lig. tom. 4.*



Sæcul. XVI. „net, si opus sit, ex universo regno E.  
 A.C. 1590. „piscopos convocare. „

„Insuper vocati estis ad eam urbem,  
 „in qua sine animæ periculo versari vo-  
 „bis non licet, quippe cum is in ea prin-  
 „cipatum gerit, qui jam pridem a sua  
 „Sanctitate censuræ fulmine ictus est:  
 „Ad hæc id negotium aut sine vobis  
 „perfici potest, aut a vobis sine scelere  
 „tractari nequit, nam si Henricus Bor-  
 „bonius petat suppliciter in orthodoxa  
 „fide instrui, quid Episcoporum con-  
 „ventu, quid tot Præfulum fatigatione  
 „opus est, dum id per quosvis Doctores,  
 „ac concionatores Catholicos, qui in  
 „urbe illa sunt, facile præstari potest:  
 „non enim ad ejusmodi instructionem  
 „auctoritate opus est, sed sufficit erudi-  
 „tio tenuis, ac vulgaris, nam vix Bor-  
 „bonius ignorare potest, quæ sit Eccle-  
 „siæ Romanæ fides, quippe eam aliquan-  
 „do coluit, ac professus est: si vero exi-  
 „gitur controversiarum inter Ecclesiam  
 „Romanam, & calvinianam Synago-  
 „gam dijudicatio, quid hoc aliud est,  
 „quam ea, quæ a sacra œcumenica  
 „Tridentina Synodo definita sunt, ite-  
 „ram retractare velle, ejusque Synodi  
 „auctoritatem, a qua sunt omnes Cal-  
 „viniani errores jam pridem damnati,  
 „cujusque fidei dogmata non minus  
 „Gallia, quam reliquus Christianus or-  
 „bis



Sæcul. XVI.  
A.C. 1590.

„bis veneratur, & observat, labefacta-  
 „re, atque convellere: quid id est aliud  
 „denique, quam de Catholica Ecclesia  
 „triumphum hæreticis, & de religione,  
 „prout S. Hilarius dicit, ludibrium fa-  
 „cere? is, qui vere, & ex animo hæ-  
 „reses detestatur, & veram fidem do-  
 „ceri cupit, Theologos adhibere debet,  
 „qui prælegant ei, & exponant Con-  
 „cilii Tridentini decreta, Catechismum  
 „Romanum, aut fidei professionem a  
 „Pio IV. editam, ac eidem Concilio in  
 „omnibus congruentem, nulla igitur  
 „opus Synodo, nulla Episcoporum con-  
 „vocatione: proinde pro potestate mihi  
 „a Pontifice commissa inhabeo cunctis  
 „Episcopis, ne ad civitatem Turonum  
 „accedant, neve in conventum ullum,  
 „aut Synodum coeant: si secus fiat,  
 „protestor, me non pro legitimo conventu  
 „cœtum illum habiturum, & jam nunc  
 „declaro acta ejus conventiculi omnia  
 „irrita, & inania: Episcopus autem,  
 „qui hujusmodi cœtui interesse non  
 „dubitaverint, cum excommunicatio-  
 „nis, & depositionis periculo id factu-  
 „ros denuntio.„

His literis latine exaratis etiam  
 alias gallico idiomate scriptas addidit (\*)  
 ad

(\*) Has literas ab ipso Cajetano scriptas esse  
*Hist. Eccles. Tom. LI.*      E      nequi-



Sæcul. XVI. ad Nobilitatem directas, quibus cunctos  
A.C. 1590. inducere tentabat, ut Carolum Borbo-  
 nium unice pro solo, & legitimo Fran-  
 ciæ Rege sub nomine Caroli X., Madua-  
 num vero Ducem pro totius Regni Vi-  
 cario agnoscerent.

§. XXXV.

*Parisiensis Senatus edictum pro Car-  
 dinale Borbonio.*

*Thuan. l. c.  
 Mem. de  
 l'Étoil t. 2.  
 pag. 9.*

Die quinta Martii Parisiensis Senatus  
 aliud promulgabat edictum, quo  
 jubebantur omnes, cujuscunque digni-  
 tatis, ac conditionis sint, Carolum X.  
 pro Rege legitimo, & supremo Domino  
 agnoscere, eique fidem, & obsequium,  
 quod subjecti fideles Principi suo de-  
 bent, præstare, & Carolo Lotharingio  
 Maduano Duci ditionis, & coronæ  
 Franciæ Generali Vicario ad omnia  
 obedire, & opes suas, ac fortunas in  
 id impendere, ut Regem e captivitate,  
 in

nequidem Thuanus asserere audet, dum ait:  
*his literis aliud literarum exemplum ad Nobili-  
 tatem publicatum est a factiosis, ut vero simile  
 est, fabricatum, quibus diluebantur, quæ fa-  
 ctioni fœderatorum objiciebantur, ea vero,  
 quæ de Carolo in Regem agnoscendo Conti-  
 nuator refert, Thuanus non in Cardinalis li-  
 teris, sed in Parisiensi Senatus consulto con-  
 tenta fuisse narrat.*



in qua ab Henrico Borbonio detinetur, Sæcul. XVI.  
A.C. 1590.  
 in libertatem asserant: insuper cunctis  
 inhibebat, ne perse, aut per alios cum  
 memorato Henrico Borbonio, ejusve  
 ministris consilia communicent, vel  
 privatim, publice, voce, aut scripto  
 de pace, aut fœdere cum eo agant,  
 pœna mortis, & bonorum publicatio-  
 ne in omnes secus facientes constituta: ut  
 autem hoc edictum cum majori religione  
 effectui daretur, sexto post die Lega-  
 tus (\*) in Ecclesia Fratrum Augustinia-  
 norum sacrum solemne celebrari jussit,  
 cui Mercatorum Præfectus, ædiles, &  
 tribuni militares, necnon Civium præ-  
 cipui, tactis sacrosanctis Evangeliiis co-  
 ram Legato fidem denuo obligarunt, in  
 sancta unione se ad ultimum vitæ spi-  
 ritum perseveraturos sub auspiciis Ca-  
 roli X., & Maduani ejus Vicarii ad ex-  
 tirpandum sectarium virus, neque con-  
 sensuros in pacem, fœdus, inducias,  
 aut ullam cum Rege Navarræ recon-  
 ciliatio-

E 2

ciliatio-

(\*) Rursus falsum est, quod Legatus hoc  
 Sacrum celebrari jussit, cum Thuanus unice  
 asserat, quod *sacrum a Josepho Fullone celebra-  
 tum sit, eique Legatus interfuerit*: vero simi-  
 lius ergo est, quod Senatus Parisiensis id fieri  
 jussit: ast Continuatori consultius esse vide-  
 batur, Pontificium Legatum, quam Parisiense  
 Parlamentum in invidiam trahere.



Sæcul. XVI.  
A.C. 1590.

ciliationem, & operam daturus, ut Carolus X. Rex, qui captivus detinetur, in libertatem asseratur. Idem actum est postea in Senatu, & aliis tribunalibus, instrumentaque publica de eo hoc juramento confecta, quin vel ullus sese opponere auderet.

## §. XXXVI.

*Regis Hispaniæ declaratio circa  
Franciæ res.*

Thuan. l. 98.  
Mem. de  
la Lig. t. 4.  
p. 226. &  
228.

Die octava Martii Hispaniæ Rex, qui omnium Regni tumultuum Auctor credebatur, Madrito in Franciam diploma transmiserat, quo multa de egregia sua in religionis negotio voluntate magnifice prolocutus ita proferebatur: „ob eam causam pacem cum „Henrico II. Francorum Rege feci, & „ad extirpandas in florentissimo regno „hærefes auxilia Carolo filio foror- „rio meo submisi: excitatis dein in Bel- „gio ab Arausionensi Principe turbis, „perduelles in ordinem coegi, & me- „liorem earum provinciarum partem „ab hac peste liberavi; nunc vero cum „videam, eorundem sectariorum actu eo „res devenisse, ut orbis Christianus in „Turcarum potestatem venire pericli- „tetur, nam id fieri potest dissensionibus per hæreticorum malitiam ubique „feminatis, insuper cum cernam Re-  
gnum



Sæcul. XVI.  
A. C. 1590.

„gnum Francorum præcipue bellis ci-  
 „vilibus jam dudum attritum: eapropter  
 „miseratione, ac pietate commotus  
 „cunctos Principes Catholicos hortor,  
 „ut vires mecum jungant ad extir-  
 „pandas hujus Regni hæreses, & libe-  
 „randum e carcere Carolum X, in quo  
 „ab hæreticis injuriose detinetur, ut  
 „repurgato ab ea peste florentissimo  
 „Francorum regno vires, & opes suas  
 „ad exterminandas per cetera regna  
 „hæreses, atque iis de medio sublatis  
 „ad terræ sanctæ expeditionem a no-  
 „bilitate Catholica olim tanta alacri-  
 „tate, ac felicitate susceptam cuncti  
 „concordi animorum voto incumbant:  
 „de cetero coram Deo, & angelis pro-  
 „testor, quod apparatus bellicos non  
 „alio fine faciam, quam ut Matrem  
 „nostram Ecclesiam Catholicam Apo-  
 „stolico - Romanam amplificem, quie-  
 „tem, ac securitatem vere Catho-  
 „licorum sub legitimis eorum Principi-  
 „bus constituam, sectarium venenum  
 „ubique extirpem, pacem, & concor-  
 „diam Principum Christianorum firmem.  
 „quam in rem non solum opes, sed &  
 „vitam, ac sanguinem proprium effun-  
 „dere paratus sum, quippe cum in ju-  
 „stiori causa impendi non possit. Da-  
 „tum Octavo Idus Martii., Ceterum  
 postridie Rex Casparo Quirogæ Archi-



Sæcul. XVI. episcopo Toletano tanquam magno Cancellario, & supremo sacræ inquisitionis Præsidi per Castellæ commendatorem mandabat, ut ad sumptus in illud bellum faciendos, & prohibendos Germanorum delectus, qui ad sectariam pestem in Franciæ regno seminandam propediem descensuri essent, Concilia provincialia more solito cogat, & imperet collationem pecuniæ per singulas Diæceses æqualitate servata distribuendæ.

## §. XXXVII.

*Rex in Iberiensi prælio victor.*

*Thuan. l. c.* *Davil. l. II.* *Mem. de la Lig. pag. 254.* *Dubignet. 3. l. 3. c. 6.* Fœderatis cuncta hæc molientibus, interea Rex die decima quarta Martii prope Iberiæ oppidum quarta a Droco leuca insignem victoriam de Maduano Duce reportabat, ac paulopost in ipsa hac Urbe eundem altera victoria superatum de urbe in urbem fugere compellebat; insuper Meduntam, & Veronionium deditione cepit: mox vero Dux datis Romam literis sinistrum, quo fœderatorum res inclinari cæperant, successum ex parte perscripsit, interim id, quod rei summam concernebat, dissimulavit insinuans, quod nobiliores Urbes, ac præprimis Parisina civitas adhuc sacræ unioni addictæ permanerent.

Verum



Verum in Francia, & Parisiis vix non Sæcul. XVI.  
A.C. 1590.  
desperata foederatorum conditio manifestius apparebat: quocirca Legatus, cum res omnium oculis pervia occultari haud posset, quædam concordiae pacta proposuit, moxque Villaregius cum Plessio Mornæo prope Meduntam in Suindrinensi arce desuper conferebat, ac ipsemet Legatus paulopost aliud colloquium instituit Nosiaci, quæ arx Rentensi Marefcallo Gondii Cardinalis, qui unacum Marefcallo aderat, fratri parebat: verum hæc consultatio successu suo frustrabatur, Rege continuato victoriarum cursu plures regiones emetiente: die autem tertia Aprilis castris Melodunum promotis hanc urbem occupavit, eodemque tempore Moretum, & Crassiarum suis armis subjecit: inde vero Monasteriolum, Pontem ad Sequanam & Merium contendit.

## §. XXXVIII.

*Rex tentata Senonensis Urbis obsidione recedere coactus.*

Postea Rex Senonensem urbem, cui Thuan. l. 98.  
Jacobus Harlæus Chanvallonius Gubernator præerat, ad deditionem provocare aggreditur: cum autem cives urbem suam quovis periculo defendere parati essent, Rex vim adhibere



Sæcul XVI.  
A.C. 1590.

haud consultum ratus, Parisios versus iter prosequabatur: ut autem Chanvalonius Regis copias distineret, hocque pacto Parisiensibus ad Urbis suæ propugnationem amplum temporis spatium concederet, Aumontio Marescallo, Senonenses cives nullo ferme negotio subigi posse, significabat, quinimo Gubernator jamjam deditiois articulos proponebat. Ergo Aumontius Marescallus eo revertitur, ipseque Rex unacum exercitu suo huic urbi appropinquat: cum vero se turpiter delusum cerneret, nonnisi unico tentato assultu sese recepit, Parisinam Urbem cincturus.

## §. XXXIX.

*Frustraneus Legati conatus pro concilianda pace.*

*David. l. II.*  
*Tuan. l. 98.* Legatus cum omnes hujus Urbis aditus regio milite obsessos, cunctasque vias ad annonam Urbi inferendam opportunas a Rege interclusas cerneret, de induciis cogitare cæperat, ut interea foederati annonam advehere possent: hanc in rem ad Bironium Marescallum, qui Provini ad expeditionem a Rege decretam necessaria parabat, datis literis hæc eidem significabat: „ximi momenti res habeo, quas tibi „communicare debeo, proin te rogo, „ut Marco Antonio Mocenico Cenetensi Episco-



„Episcopo Patritio Veneto, quem ad te  
 „missurus sum, idonee caveatur.

Sæcul. XVI.  
 A.C 1590.

Igitur securitatis literis mox trans-  
 missis Marcus exeunte Mense Aprili  
 Briam-Comitis-Roberti pervenit: ve-  
 rum cum hic nil nisi inducias, donec  
 Oratoribus Romam, atque in Hispa-  
 niam decretis de ipsa pace agi possiet,  
 obtinere intenderet, Bironius hæc re-  
 spondit: „Rex, & Principes, ac prima-  
 „rii regni proceres, qui circa ipsum sunt,  
 „non modo inducias inire, sed etiam  
 „de pace agere parati sunt, nilque ma-  
 „gis optant, quam ut pacis faciendæ  
 „rationes salvo jure ipsius, ac dignitate  
 „quamprimum ineantur, cum eas a  
 „Principibus exteris exspectari neque  
 „tutum, neque sibi, gallicoque nomini  
 „honorificum existimet.

Episcopus Bria re infecta discessit,  
 haud obscure intelligens, quod Regis  
 rebus melior, quam Parisiis vulgaba-  
 tur, fortuna adspiraret: porro idem in  
 itinere Henrico IV. obviam factus diu  
 cum eo conferebat, omni obsequiorum  
 genere, ac benevolentix signis exceptus.

§. XL.

*Parisiensium libellus ad Facultatem  
 Theologicam.*

Interea Henricus IV. omnibus pontibus  
 tam Icaunio, quam Sequanæ flumi-  
 ni

*Mem. de  
 la Lig.*

*pag. 289.*

*Thuan. l. 89.*

E 5



Sæcul. XVI.  
A.C. 1590.

ni impositis feliciter superatis Latini-  
cum occupavit, hacque ratione Matro-  
nam annem trajiciendi opportunitate  
adempta die nona Maji Calam perve-  
nit, indeque promotis castris altera die  
copias suas Parisinæ Urbi admovit. Bi-  
duo ante sexdecim Regionum Rectores  
libellum a Mercatorum Præfecto. Aedi-  
libus, ac pluribus, iisque præcipuis ci-  
vibus, & Notariis subscriptum, necnon  
Urbis sigillo munitum Facultati Theo-  
logicæ porrexerunt, in quo a Sorbonici  
Collegii Doctoribus petebant, ut suam  
sententiam circa tres quæstiones pro-  
ponerent, quarum decisio ad diuidia,  
quæ hucusque inter hanc Metropolim,  
& Navarræ Regem fervent, compo-  
nenda, necnon ad conscientiæ anxie-  
tatem in probis Catholicis tollendam,  
atque ad promovendam Dei gloriam,  
hæresimque penitus eliminandam pluri-  
mum conduceret: porro tres hæ quæ-  
stiones erant sequentes. I. An tunc,  
si incideret mors Regis optimi Caroli X.  
aut interea, dum idem injusto carcere  
detinetur, in favorem Henrici Borbo-  
nii Regni jus abdicaret, Galli aut pos-  
sint, aut salva conscientia debeant me-  
moratum Henricum, aut etiam Princi-  
pem sectariæ pestis fautorem in Regem  
admittere, postquam idem a criminibus,  
& censuris fuit absolutus, cum evidens  
pericu-



periculum immineat ab ejus perfidia, & Religionis, ac regni subversione. II. Quærebant, an de hæresi suspectus, aut fautor dici debeat, qui pacem cum præfato Henrico fieri procurat, & cum eam impedire possit, permittit. III. Sciscitabantur, an hæc jure divino decisa sint, aut a Catholicis citra peccatum, & vitæ æternæ jacturam omitti valeant. IV. Interrogabant, an econtrario gratiam apud Deum mereatur is, qui se toto studio Henrico opposuerit, & ille, qui ad sanguinis usque effusionem resistit, vere martyr dici debeat.

§. . XLI.

*Decisio Facultatis Theologicæ circa  
Henrici IV. Successionem.*

Ob hæc tres quæstiones Facultas conventum sæpius habuit, & tam totum Collegium, quam ejusdem Deputati omnes tres articulos sigillatim mature examinabant, ac tandem suam sententiam his verbis pronuntiabant. „Jure Divino „præceptum est, ut non Catholici homi- „nem sectarium, aut sectarii mali fauto- „rem, & manifestum Ecclesiæ hostem, „multoque minus relapsum, & a sancta „Sede nominatim ab unione Catholica „exclusum ad regnum admittant, quam- „vis vero talis absolutionem a crimini- „bus, ac censuris in foro exteriori impe-  
traverit,

Sæcul. XVI,  
A. C. 1590.

Mem. de la  
Lig. p. 290.  
Thuan. l. 98.



Sæcul XVI.  
A. C. 1590.

„traverit, si tamen subfit manifestum  
 „perfidiae, ac simulationis, & everfionis  
 „Religionis Catholicæ periculum, eo-  
 „dem jure cenferi, & excludi debet, ii  
 „autem, qui fatagunt, ut is in Regem  
 „adfciscatur, aut ei student, & favent,  
 „vel etiam ad regnum provehi permit-  
 „tunt, cum impedire possint, & ex of-  
 „ficio debeant, facris decretis sunt in-  
 „juri, de hæresi merito suspecti, & Re-  
 „ligioni, ac Ecclesiæ perniciosi, & con-  
 „tra eos, cujuscunque dignitatis, ac  
 „conditionis sint, eo nomine agi potest,  
 „& debet, proinde cum Henricus Bor-  
 „bonius sectarius, & mali sectarii fau-  
 „tor, hostis Ecclesiæ manifestus, re-  
 „lapsus, & nominatim excommunica-  
 „tus sit, licet ecquidem forte absolutio-  
 „nis beneficium ei impertiretur, cum  
 „tamen periculum perfidiae, simulatio-  
 „nis, & religionis evertendæ subfit, pro-  
 „pterea Franci eum a Regno Christia-  
 „nissimo excludere, & quovis alio le-  
 „gitimo hærede mortuo, vel cedente  
 „eundem prohibere, atque a pace cum eo  
 „facienda abhorrere tenentur, adeo ut  
 „illi, qui ei favent, sanctis decretis in-  
 „juri, de hæresi suspecti, & Ecclesiæ  
 „perniciosi, ac tanquam hujusmodi cri-  
 „minum convicti, serio, seduloque coer-  
 „cendi, ac castigandi sint. Porro quem-  
 „admodum illi, qui Henrico ad regnum  
 „aspi-



„aspiranti favent, aut suppetias ferunt, Sæcul. XVI.  
 „religionis desertores sunt, & in pec- A.C. 1590.  
 „cato cum vitæ æternæ dispendio de-  
 „gunt, ita isti, qui se ei pro religionis  
 „defensione opponunt, plurimum apud  
 „Deum, & homines merentur: insu-  
 „per sicuti illos, qui in stabiliendo  
 „hostis generis humani regno pertina-  
 „ces sunt, æterna pœna manet, sic hi, qui  
 „ad sanguinis usque effusionem resistunt,  
 „æternum in cœlo præmium, & ut  
 „fidei propugnatores immarcescibilem  
 „martyrii coronam proculdubio conse-  
 „quuntur. „

Hoc decretum ita concludebatur  
 nullo omnino contradicente, die septi-  
 ma Maji anno Salutis nostræ millesimo  
 quingentesimo nonagesimo, dum  
 tertius generalis Conventus hanc in  
 rem in ampliori Collegii Sorbonici Au-  
 la fuit habitus, cunctique Faculta-  
 tis Doctores interposito juramento ad  
 hunc conventum convocati sunt.

## §. XLII.

*Hoc decretum ad omnes Fœderatorum  
 Urbes transmissum.*

Hoc decretum juxta clandestina fœ- Mem. de la  
 deratorum consilia procudebatur: Lig. t. 4.  
 insuper quantocius typis latine, & gal- pag. 285.  
 liche mandatum, ac nomine Parisiensium  
 cum præfatione apud regni civitates,  
 quæ



Sæcul. XVI.  
A. C. 1590.

quæ unioni nomen dederant, promulgatum est unacum epistola, qua omnes huic decreto obtemperare jubebantur, indicta etiam bonorum proscriptione, ac vitæ dispendio: præterea addebantur literæ a probatoribus Parisinæ Urbis civibus scriptæ, in quibus Sorbonna magnificis elogiis honorabatur, ac de illius Doctoribus hæc proferebantur: „horum decisionis eo major habenda est ratio, quo certius ad eos pertinet, inter lepram & leporem judicare, præsertim cum decreta tanti in Ecclesia momenti sint, ut ea sancta Sedes semper probaverit, & secundum ea pronuntiaverit, prout nuper in præsentis negotio verbis oppido disertis fecit, proinde sicuti nos ea tanquam a Spiritu sancto dictata amplecti, & ad extremum vitæ spiritum sequi decrevimus, sic & universos hortamur, ut his subscribant, & vel cum vitæ hujus fortunarumque omnium periculo ex certa vitæ melioris fiducia acquiescant, pareant, & pretiosum hoc fidei depositum a nostris Majoribus relictum conservent, ac proprio cruore effuso, suæque vitæ jactura firment, præcipue cum omnia sua bona, imo & sanguinem se profusuros jurato polliciti essent, aliunde vero in memoriam revocent tot luculenta miracula, quibus hucus-

„que



Sæcul. XVI.  
A. C. 1590.

„que a malo præservati sunt, nam hæc  
 „totidem sunt evidentia signa divinæ  
 „Providentiæ, quæ nos a nostris ini-  
 „micis eripere nititur, ac Principes,  
 „Proceres, nobilioresque Magistratus  
 „unacum populo ita dirigit, ut juxta  
 „prudens, & salubre Facultatis adeo  
 „celebris monitum hæreticus propel-  
 „latur, nec unquam memoria exstet,  
 „quod nobilissimum Franciæ Sceptrum  
 „ab hæresi fuerit ullo tempore conta-  
 „minatum: eapropter nos Parisini cun-  
 „ctos ceterarum Urbium incolas hor-  
 „tamur, ut nostrum exemplum imitan-  
 „tes sua bona, vitamque potius amit-  
 „tere, quam ab hac regula deviare ve-  
 „lint, sintque omnes persuasi, quod  
 „hac agendi ratione sibi perennem felici-  
 „tatem, ac sine fine in æternitate du-  
 „raturam quietem promereri possint.,  
 Præter hoc Parisiensis Senatus aliud  
 edidit decretum, quo constituta mor-  
 tis pœna prohibitum, ne Henricus Bor-  
 bonius tanquam Rex agnosceretur, aut  
 de pace, vel induciis cum eo sancien-  
 dis ullo pacto ageretur. Huic decreto  
 parebant fœderatorum Prædicatores, ac  
 præprimis inter alios Panigarola Asten-  
 sis Episcopus, & Bellarminus Jesuita  
 Legati Theologus ad hujus Senatus  
 consulti tenorem se accomodabant.

§. XLIII.



Sæcul. XVI.

A. C. 1590.

§. XLIII.

*Cardinalis Borbonius, dictus Carolus X. vita functus.*

*Thuan. l. c.  
Spond. n. 10.  
Daniel hist.  
de France  
t. 7. p. 54.  
Et 63.*

Rege adhuc Callæ hærente nuntiatum est, Cardinalem Borbonium, qui sub nomine Caroli X. Franciæ Rex a fœderatis proclamatus est, Fontenaci in suo carcere die nona Maji ex calculi doloribus extinctum esse. Erat is Firmitate ad Jotrum in Bria die vigesima secunda ex Carolo Borbonio Vindocinensi Duce anno Christi millesimo quingentesimo vigesimo tertio natus, atque anno ætatis suæ sexagesimo septimo mortuus. Obtinuerat progressu temporis Nivernensem, & Sanctonensem Episcopatum, necnon Archiepiscopatum Rothomagensem, pariterque Bellovacensem administrabat Ecclesiam, postquam Castillionæus Cardinalis hæretico veneno infectus ab Ecclesia defecerat: tandem vero Carolus Avenionensi Legatione honoratus, ac Franciæ Primoribus annumeratus Regii Ordinis Commendator sancti Dionysii, & Divi Germani de Pratis, necnon sancti Ovanii Abbatias regebat: denique anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quadragesimo octavo a Paulo III. Cardinalis renuntiatus est, ubi ab initio Ecclesiæ utilitatem summo studio procur-



procurabat, quamvis foederatorum Duce-  
 ces nimia hujus Principis facilitate ab-  
 utentes eundem in Regem proclamare  
 satagebant, eo fine, ut Regem habe-  
 rent, qui regium quidem nomen tene-  
 ret, ipsi vero eidem dominarentur, hac-  
 que ratione Henricum Borbonium ejus  
 Nepotem a Regno excluderent, cujus  
 tamen victima ipsemet cecidit, atque  
 corpus ejus sepultum est Gaillonii in  
 Carthusianorum cœnobio, quod ipsemet  
 construi fecit: porro hodie dum in variis  
 Musæis monetæ aureæ, & argenteæ pro-  
 cusæ monstrantur, quæ hujus Cardi-  
 nalis nomen unacum regio titulo præ-  
 feferunt.

## §. XLIV.

*Supplicationes durante Parisina ob-  
 sidione a foederatis habitæ.*

Quamvis hujus Cardinalis obitu foe-  
 deratorum, ac præcipue Parisien-  
 sium res plurimum turbandæ crede-  
 rentur, nihilominus Nemorsius Dux  
 horum animos dextre erigebat, decre-  
 ta solemnibus supplicatione, qua magis in-  
 solita, ac ferme comica vix unquam  
 instituta fuit, nam in ea supplicatione  
 Guilielmus Rosa Episcopus Silva-  
 nectensis, & Carthusianorum Prior,  
 dextera Crucem, læva autem hastam  
 tenebant, & tanquam præcipui, pri-  
 mique

*Thu. Mem.  
 de l'Etoil.  
 t 2. p. 11.  
 Davil. l. 11.*

*Hist. Eccles. Tom. LI.*

F

mique



Sæcul. XVI.  
A.C. 1590

mique hujus scenæ choragi, & strenui Machabæi, sic enim se appellari gaudebant, primos ordines ducebant: dein vero sequebantur Patres Capuccini, Fulienses, Minimi, Franciscani, Dominicani, & Carmelitæ, succincti omnes, & cuculla supra humeros rejecta: præterea eorum quidam in capite galeam, ac in pectore thoracem gestabant, alii clypeis, & pugionibus, alii hastis, sclopis, aliisque armis rubiginosis ad certamen, vel defensionem parum idoneis muniti comparebant: porro Seniores primi incedebant, torvo vultu, rubentibus oculis, aprugnis dentibus, totoque corporis gestu minas, & militarem fastum scenica simulatione referentes: his succedebant juniores eodem habitu, sclopetis armati, quæ plerumque in obvios inconsiderata temeritate displodebant, eorumque ictu unus e Legati domesticis, dum otiosus spectat, prope illius currum interfectus est, quocirca hic Præsul quantocius secesserat: præprimis vero omnium oculos in se convertebat Bernardus e Fulienfrum ordine adhuc juvenis, qui nuper Henrico III. Regi a concionibus in Parisina urbe ob suos sermones celebris erat, vulgo dictus *parvus Fuliacensis*. Hic altero pede claudus nusquam certo loco consistens, sed huc illuc cursitans, modo  
in



in fronte, modo in agminis hujus tergo Sæcul. XVI.  
A.C. 1590.  
 latum ensẽ ambabus manibus rotabat,  
 & claudicationis vitium gladiatoria mo-  
 bilitate emendabat, ac quandoque pri-  
 mum, mox postremum agmen novæ  
 hujus militiæ ex plusquam ducentis Ec-  
 clesiasticis partim sæcularibus, partim  
 Regularibus compositæ obequitabat:  
 porro Hamiltonius Parochus ad sanctum  
 Cosmam unacum ceteris hoc agmen  
 instruxerat: religiosi autem, qui ex re-  
 ditibus vivunt, quales sunt Benedictini  
 ad sanctum Germanum de Pratis, Ca-  
 nonici Regulares sancti Victoris, &  
 sanctæ Genovevæ, Cælestini, aliique  
 huic supplicationi non intererant, inte-  
 rim ceteri vexillum, in quo Christi  
 Crucifixi, & Beatæ Virginis imago erat  
 depicta, præferebant. Totum hoc sup-  
 plicantium agmen per Parisinæ Urbis  
 plateas studiose ad gravitatem compo-  
 sito vultu incedebat, ac subinde sub-  
 sistens quandoque antiphonas, & can-  
 tica resonantibus sclopetis decan-  
 tabat, ac sæpius hæc divi Jobi ver-  
 ba repetebat: *vita hominis militia est  
 super terram*, cujus tamen militiæ se præ-  
 mium in cælis reportaturos ajebant.

## §. XLV.

*Parisiensis civitatis suburbia a Rege  
 invasa.*

F 2

Cum



Sæcul. XVI.  
A.C. 1589.

*Thuan. l. 99.*  
*Davil. l. II.*  
*Mem. de la*  
*Lig t. 4.*  
*pag 303.*

Cum ergo Parisini suos Confessarios, animarumque Directores armis instructos viderent, sibi que persuaderent, quod tuendæ Religionis studio arma capefferent, ac pro ejus conservatione vitam esse profundendam crederent, hinc & ipsi urbis suæ obsidionem immota animi fortitudine sustinere, ac sese pertinaciter defendere decernebant, dum jam Rex sancti Martini suburbium cum numeroso equitatu, peditatuque cingebat, spe fretus, se amplissimam hanc urbem facile famis violentia expugnaturum: quapropter die vigesima septima Julii vespere omnia suburbia invadi jussit, iisque dimidiæ horæ spatium nondum evoluto vi captis cunctas portas obsedit, quippe regii milites circum circa stationes agebant, domosque fossis magis vicinas solo æquabant. rebus igitur ad extrema redactis scædicatorum Duces, veriti, ne amplius hortationes, ac suppliciorum minæ in officio obsessos continendo pares essent, post decem, vel duodecim dierum consultationem decernebant, cum Rege conferendum esse, non quidem eo animo, ut de Urbis deditioe cum eo ageretur, sed duntaxat, ut res in longius protrahi posset, hujusque moræ beneficio Maduano Duci unacum Parmensi e Belgio adveniendi spatium, urbi que sup-

petias



petias ferendi opportunitas suppedita- Sæcul. XVI.  
 retur. A C. 1590.

## §. XLVI.

*Urbs immuni fame depopulata, ab-  
 sumptis quamplurimis.*

Interim magna undique erat in Urbe  
 Parisina omnium consternatio, at-  
 que ob alimenti penuriam tanta virium  
 debilitas, ut cives, ac præfidiarii vix  
 armis ferendis pares essent, atque uni-  
 ca panis libra aureo, frumentique sex-  
 tarius plusquam viginti sex aureis ven-  
 deretur: imo pauperes nonnisi canum,  
 catorum, & murium carnibus vesce-  
 bantur, alii vero duntaxat foliis, ra-  
 dicibus, herbisque, quas e faxis evel-  
 lebant, ægre vitam tolerabant: porro  
 intra hoc tempus duo equorum millia,  
 atque octingenti partim asini, partim  
 mulæ consumebantur, ac singulis die-  
 bus mane ducenti omnino homines  
 quandoque in plateis fame enecati re-  
 periebantur, adeo, ut mortuorum nu-  
 merus ad tredecim millia ascendisse re-  
 feratur: insuper in platearum angulis,  
 ubi alias frequentior erat incolarum con-  
 cursus, necnon in publicis compitis nil  
 nisi lebetes coctis herbis nequidem sale  
 conditis pleni, necnon pulmenta ex  
 avenaceo furfure decocta viscebantur, nec  
 raro rustici mortuos etiam canes om-  
 nino

*Thuan. l. 99.  
 Hist. de la  
 Mon Franc.  
 de Marcell.  
 t. 4. p. 647.*



Sæcul. XVI  
A.C 1590.

nino crudos devorabant, alii vero beftiarum intestina ad sterquilinum projecta manducabant, passimque cadaverum ossa in farinam molebantur: nec melior potus, quam cibi, erat conditio; deficiente enim vino, in ænopolis nescio quæ potio ex avenæ paleis, ac radicibus decocta vendebatur, unde communis hæc calamitas in gravissimos morbos, & præcipue tumores, atque hydropises degenerabat, quæ tamen omnia mala animi ad extremam patientiam obstinati tolerabant constantia vix unquam audita, quæ crescentibus miseriis magis, magisque in eis augeri videbatur: insuper cives noxarum condonatione a Legato concessa, necnon Concionatorum hortationibus tantopere in suo proposito firmabantur, ut exuta omni humanitate plures neci traderentur, non aliud ob crimen, nisi quod vel panem, vel pacem dari peterent.

## §. XLVII.

*Thuc. l. 99. Mez. ab-rege. t. 3. p. 370. Mem. de la Lig. p. 159. t. 4. p. 159.* *Parisiensium Deputati ad Regem.*

Postea die quinta Augusti Parisienses datis ad Maduanum literis extremam, ad quam urbs esset redacta, necessitatem eidem exponebant: urgente autem mali violentia, ac prompti responsi opportunitate undique interclusa  
Legatus



Legatus, & Mendoza Hispaniæ Regis Sæcul. XVI.  
 Orator, cum populum jam aliunde po- A.C. 1590.  
 tissima ex parte irritatum in apertam  
 seditionem prorupturum vererentur,  
 Regem inter, & Maduanum Ducem de  
 facienda pace agi permittebant, ut sal-  
 tem hac ratione populum spe lactarent,  
 aut saltem proximam urbis irruptionem  
 præpedirent: ergo die sexta Augusti  
 Senatus Parisiensis jussu decernitur, ut  
 Gondius Cardinalis, Parisiensis Episco-  
 pus, necnon Archipræful Lugdunensis,  
 aliique ex sacro Ordine Viri Regem adi-  
 rent, qui etiam ex Abbatia sancti An-  
 tonii, ubi tum agebat, ad eos publicæ  
 securitatis literas transmitti iussit. Ad-  
 erant tum Chivernius Cancellarius, qui  
 in Regis gratiam redierat, necnon Bi-  
 ronius Marefcallus, omnesque aulæ  
 Proceres, ac Ministri, coram quibus  
 Gondius ceterorum nomine perorans  
 publicam regni calamitatem vivis co-  
 loribus depingebat, suæque legationis  
 causam exponens addebat, se hanc  
 provinciam a Senatu, & urbis Ordini-  
 bus demandatam suscepisse, ut ad ipsum  
 Regem veniret, & inde ad Maduanum  
 transfiret, quatenus religionem in tuto  
 constitueret, & pacis inter utrumque  
 faciendæ rationes iniret.



Sæcul XVI.

A. C. 1590.

~~AD C. 1590. 1590.~~

Thuan. l. c.

Davil. l. II.

t. 2. p. 810

§. XLVIII.

*Regis responsum ad hosce Deputatos.*

Equidem horum deputatorum auctoritas minus legitima, atque eo durat ex fine illi advenisse videbantur, ut Rex distineretur, ac foederati usque ad Maduani Ducis adventum temporis inducias prorogare possent, nihilominus Henricus IV. hosce Deputatos excipiens, eis hæc in responsis dabat:

„nulli magis, quam mihi, publica Regni calamitas cordi est, eapropter totus in id intentus sum, ut malis, ac omnibus, quæ ex nova foederatorum conspiratione orta sunt, tandem remedium apponam: quapropter Parisinos quosque in gratiam recipere paratus sum: nolo autem, ut præter me solum quicumque alius hac in re partes suas interponat: nullus enim alius est, qui illis potentius gratificari potest, idque magis optat, nam eis adeo non nocere desidero, ut potius omnibus professe, ac gratiam concedere paratus sim: non ergo in Hispanis, aut Maduano Duce auxilium quærant, illos enim pudeat, quod patriæ suæ, libertatisque obliti tam prona cervice gravi Hispanorum jugo sese subjiciant, cum tamen hi unice illos opprimere fatigant, cujus rei testes sunt tot cives, quos



„quos misera fame ante oculos suos pe-  
 „rire sinunt, non considerantes, quod  
 „eorum existant Pastores, ac quondam  
 „Deo rationem reddituri sint, nec mu-  
 „tire audent, veriti, ne Cajetanum  
 „Cardinalem, & Mendozam Hispaniæ  
 „Legatum offendant.” His dictis Rex,  
 quamvis Deputatorum mandata vitiis  
 plena esse cerneret, nihilominus prout  
 petierant, ipsis concessit, ut Ducem  
 Maduanum adirent, & cum eo de pace  
 agerent, in qua si conveniant, ut urbs  
 comprehendatur, conditiones deditio-  
 nis irritæ habeantur; sin contra nec  
 obsidio solvatur, neque de pace gene-  
 rali intra octiduum conveniatur, dedi-  
 tionis leges impleantur: cum autem  
 hoc spatium nimis arctum Deputatis vi-  
 deretur, utrinque re indecisa disces-  
 sum.

## §. XLIX.

*Regis literæ ad Nemorsium Ducem  
Lutetiæ Governatorem.*

Rex cum nimia facilitate sibi persua-  
 deret, quod Parmensis Dux nun-  
 quam Parisinæ urbi suppetias laturus  
 esset, proin illius deditio omnino certa  
 foret, hinc Nemorsium Ducem, ut se-  
 curitati suæ consulere, nec se vana hac  
 spe deludi pateretur, admonuit, hu-  
 jusque tenoris literas ad eum transmi-  
 sit.

Thuan. l. 99.  
 Hist. Mo-  
 narch. l. c.  
 p. 649.



Sæcul. XVI. fit: „tuam animi fortitudinem, ac ge-  
A.C. 190. „nerositatem hucusque fatis, superque  
 „in Parisinæ urbis obidione testa-  
 „tam reddidisti: haud tamen diutius  
 „vana proximi auxilii spe te la-  
 „ctari sinas, cum nulla vero similis ra-  
 „tio hæcæ suppetias polliceatur: de ce-  
 „tero si me ad vim adhibendam coege-  
 „ris, in manifestum extremæ ruinæ,  
 „direptionis, atque excidii discrimen  
 „urbem adduces, nec id prohibere  
 „amplius potero: insuper etiam si auxi-  
 „lia, quæ speras, adventura forent,  
 „haud te latet, quod illa sese tibi con-  
 „jungere haud possint, quin res ad præ-  
 „lii necessitatem deveniant, cuius aream  
 „priusquam Maduanus Dux frater tuus  
 „est tentaturus, certo memor erit nu-  
 „peræ cladis, quam Iberii accepit: imo  
 „etsi forte hac in occasione Deus ob mea  
 „peccata mihi præsto esse denegaverit,  
 „atque exercitus meus clade deletus  
 „fuerit, exinde tanto pejor erit condi-  
 „tio tua, eoquod Rege tuo legitimo,  
 „ac vero rejecto tibimetipsi jugum im-  
 „ponas Hispanorum, qui omnium cru-  
 „delissimi, ac truculentissimi sunt Prin-  
 „cipes: eapropter te rogo, & obsecro,  
 „ut ad præterita animum convertas,  
 „meque tanquam tuum regem, atque  
 „amicum pro debiti tui ratione agno-  
 „scas. „



§. L.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1590.*Parmensis Dux Parisiensi urbi sup-  
petias ferens.*

Hac epistola Nemorsius Dux eo minus *Mem. de la*  
permovebatur, quo certius eidem *Lig. 14.*  
a fœderatis nuntiatum erat, quod Par-<sup>p. 347.</sup>  
mensis Dux obsessæ urbi suppetias latu-  
rus adventaret: enimvero hic idem  
pluribus urbibus jamjam occupatis re-  
gium exercitum divisis castris ad vali-  
diora loca sese recipere compellebat. (\*)

§. LI.

*Cajetanus Legatus in Italiam rever-  
sus.*

Paulo

(\*) Hanc in rem Thuanus l. c. hæc obser-  
vat: *Hic exitus obsidionis Parisiensis fuit ma-  
xime memorabilis, cujus irritæ qui causas in-  
quirebant, eas in Nemorosii virtutem, ac soler-  
tiam supra ætatem in illo Principe adolescente  
admirandam, Cajetani præsentiam, qui Ponti-  
ficis auctoritatem in causa religionis summa  
prudencia dispensabat, Oratoris Philippici E-  
leemosynas, assiduas, ac efficaci eloquentiæ ple-  
nas Concionatorum ad populum allocutiones,  
frequentes Maducani de auxiliaribus citius  
venturis per literas asservationes, rumores ar-  
tificiose a Monpenseris pro more suo sparsos,  
Et postremo Jesuitarum ad omnes casus sollici-  
tam diligentiam rejiciebant.*



Sæcul. XVI. Paulo post solutam a Parmensi Duce  
 A.C. 1590. Parisinæ urbis obsidionem Cajetanus  
 Thuan. l. 99. apud Gallos Legatus in Italiam reversus  
 Cayet chron. est, sequentibus eum Astensi, & Ce-  
 novens. t. 1. nenedensi Episcopis, necnon Bellarmino  
 Jesuita: prius tamen Cajetanus ad ca-  
 stra contendit Parmensem Principem,  
 & Maduanum Ducem salutaturus, iis  
 vero valere iussis magnis itineribus Ita-  
 liam repetere pergebat, qui tam cele-  
 ris discessus causam allegabat Sixti  
 V. mortem, cujus brevi mentionem fa-  
 ciemus: eapropter inter suum accele-  
 rabat, ut opportuno adhuc tempore  
 comitiis Pontificiis interesse posset,  
 quamvis hæc ipsa profectio celeritas  
 supervacanea fuerit, cum Cardina-  
 les eo non expectato defuncti Pontifi-  
 cis successorem jamjam elegissent: plu-  
 res tamen hanc rationem non nisi obten-  
 tum fuisse suspicabantur, pro genuinis ve-  
 ro præcipitis adeo itineris causis assigna-  
 bant continuos timores in Parisina ob-  
 sidione toleratos, expensas ibidem fa-  
 ctas, atque exiguam Hispaniæ Regi  
 Gallicum diadema vindicandi spem, &  
 denique invidiam, quam non modo apud  
 Gallos, sed etiam ipsos foederatos sibi  
 accersebat; quippe durante sua Lega-  
 tione tantopere sese exosum reddidit, ut  
 in itinere, cum Cresciacum in Bria  
 præterveheretur, Jacobus Vinea Ba-  
 stidius,



fidius, qui locum præsidio tenebat, in Sæcul. XVI  
 eum impetu factò ultimum agmen ag- A.C. 1590.  
 gressus, impedimentorum partem suf-  
 furaretur, ipseque a fœderatis compre-  
 henderetur, initio male habitus, eo-  
 quod parricidio Guisianorum fratrum  
 interfuisse crederetur, donec ad Nemoro-  
 sii Ducis, qui ipsum minime cædi par-  
 ticipasse affirmabat, commendationem  
 pretio persoluto periculo ereptus esset,  
 tandem vero iter suum per Campaniam  
 valido præsidio munitus prosequeretur,  
 incolumis in Lotharingiam delatus.

§. LII.

*Varia Sixti V. Papæ diplomata.*

Hoc item anno Sixtus V. Pontifex di- *Bull. Const.*  
 versa edidit diplomata, quorum <sup>100. & seq.</sup>  
 primo die vigesima prima Januarii de- <sup>p. 731.</sup>  
 cernebatur *Jurisdictio, & facultates The-*  
*saurarii Generalis Romani Pontificis, &*  
*Collectoris spoliiorum ad Reverendissimam Ca-*  
*meram Apostolicam quoquo modo spectan-*  
*tium.*

II. Diplomate die decima octava Fe-  
 bruarii edito aquæ ad urbem conductæ  
 ratio, & cura demandata fuit *Congre-*  
*gationi sacre Romanæ Ecclesie Cardina-*  
*lium institutæ ad Aquas, Vias, Pontes-*  
*que curandos.*

Tertia Constitutione die quarta Mar-  
 tii actum est de *jurisdictione sacre Ro-*  
*manæ*



Sæcul. XVI. *manæ Ecclesiæ Cardinalis Archipresbyter*  
A.C. 1590 *Ecclesiæ S. Petri de urbe, qui causas, tam*  
*dictam Ecclesiam, ejusque personas, quam*  
*ejusdem fabricam quomodolibet concernentes*  
*cognosceret.*

In quarto decreto die undecima Maii  
 summus Pontifex Equitibus Ordinis sancti  
 Stephani in Etruria concessit privile-  
 gium, vi cuius *etiam bigami, & absque habi-*  
*tu clericali incedentes, annuas pensiones ex*  
*bonis Ecclesiasticis valorem ducentorum den-*  
*catorum non excedentes retinere, & trans-*  
*ferre possint.*

Denique die secunda Junii per quin-  
 tum diploma actum est de institutione  
 Præpositi, Sacristæ, Capellanorum, Cle-  
 ricorum, & Ostiarii, ad scalas sanctas,  
 prope Basilicam S. Joannis Lateranen-  
 sis de Urbe.

## §. LIII.

*Papa insuperhabita adversa valetudi-*  
*ne Ecclesiæ negotiis insudans.*

Quarto demum Mense, priusquam  
 Papa e vivis excederet, capitis  
 dolore laborare cæperat; cum vero id  
 nonnisi ex nimia assiduitate, qua nego-  
 tiis publicis vacabat, accidisse existi-  
 maret, quadam die signandis literis A-  
 postolicis intentus diu de mali sui con-  
 ditione, necnon corporis sui habitudi-  
 ne, ac vivendi methodo fusius disere-  
 bat,



bat, quamvis vero vox vix non interclu-  
 fa videretur, nihilominus omnia reme-  
 dia hucusque a Medicis præscripta,  
 quorum tamen nullo usus fuisset, figil-  
 latim recensebat: porro hac adversa va-  
 letudine nequaquam sese præpediri si-  
 nebat, quin publicis rebus continuo va-  
 caret, sæpius ea Vespasiani Imperato-  
 ris verba repetens: *Decet Principem Vi-  
 rum sciret mori, non quiescentem*, nam  
 hic pro regni sui utilitate laborare debet  
 usque ad extremum vitæ suæ halitum.  
 Ceterum cum die Sabbati decima octa-  
 va mensis Augusti ad Nationis Germa-  
 nicæ Ecclesiam de sancta Maria cum in-  
 genti comitatu accedere pararet, eo-  
 quod ab hujus nationis Protectore esset  
 rogatus, ut ob conversionem cujusdam  
 Principis Germani, qui ejurata Lutheri  
 hæresi ad Ecclesiæ sinum reversus apud  
 sancti Francisci Alumnos Catholicæ fidei  
 præceptis imbutus fuerat, debitas Deo  
 grates repensurus præfatam Ecclesiam  
 adiret, hinc Sixtus forte, ut luculentius  
 pietatis suæ specimen ederet, huic so-  
 lemnitati interfuturus pedes illuc acces-  
 sit, atque inde reversus est.

§. LIV.

*Hujus Papæ obitus.*

Feria secunda die vigesima ejusdem *Thu. l. 100.*  
 mensis Sixtus V. vehementi febre, *Ciacon. p.*  
 quæ *III.*

Sæcul. XVI.  
 A. C. 1590.



Sæc. XVI.  
A.C. 1590.

*Spond. ad  
hunc ann.*

n. 18.

*Lud. Jac-  
cob in Bibl.  
Pontif.*

quæ a corporis trepidatione incæperat, correptus est, ubi tamen, quamvis non nihil quiescere impense rogaretur, e lecto surgens, morbique vim haud parum laxatam ratus Ministros ad alloquium admisit, quibusdam insudaturus negotiis, quæ tamen ad opportunius tempus remitti potuissent: insuper Romanæ urbis Gubernatori adesse jussu præcepit, ut omnes captos de sceleribus convictos ad triremes damnaret, eosque intra hanc hebdomadam ad Centum-cellas abduci juberet: porro Papa sequenti feria quarta rursus vehementiori, quam antea, febris impetu obruebatur, altera tamen die e lecto surgens cuidam sacræ Inquisitionis Congregationi interfuit, in qua coram ipso de nonnullis difficillimis rebus agi voluit, ac commotiori animo illorum, qui in sacri Officii carceribus detinebantur, nomina sibi indicari petiit: altera vero die malo summopere aucto pene viribus exhaustus videbatur, nihilominus rei divinæ assistens sacro Viatico muniti voluit, cum autem semper magis, magisque languesceret, nulla mora sacro oleo ungi petiit, eodemque tempore Castagnam Cardinalem, quem sibi successurum sperabat, adesse jussit, eique plurima in variis Congregationibus agitata commendabat negotia, insuper suo Nepoti



Nepoti tum præfenti significavit, hunc <sup>Sæcul. XVI.</sup> Cardinalem præ ceteris e sacro Colle- <sup>A. C. 1590.</sup> gio digniorem esse: eadem igitur die Pontifex vespere in Nepotis sui brachiis animam Deo reddidit, anno ætatis suæ septuagesimo, Pontificatus vero sui quinto, unacum quatuor Mensibus, tribusque diebus.

Ceterum Veneno extinctus creditur, & Medici aperto cranio cerebrum veneni adhærentis malignitate corruptum deprehendebant: quinimo ex acutissimis capitis doloribus, quibus Sixtus ante obitum suum laborabat, ipsemet venenum sibi propinatum fuisse suspicabatur, præterea referunt nonnulli, quod tum Archiatro suo hæc dixerit: „Mihi videtur, quod Hispani meum Pontificatum pertæsi tam vitæ, quam regiminis mei exitum accelerare moliantur.“ Henricus quoque Navarrus percepto hujus mortis nuntio asserere haud dubitabat: „hoc fulmen ex Hispano cælo decidit: „porro ipse hic Rex hæc mox addidit: „jacturam deploro ejusmodi Pontificis, qui totus mihi addictus erat, utinam successorem sibi similem haberet.“ Ceterum noctu sequenti Sixti V. Corpus e Quirinali Palatio, in quo fatis functus est, ad Ecclesiam sancti Petri deferebatur, ubi postea pro more justa eidem fuere persoluta.



Sæcul. XVI.  
A.C. 1590.

§. LV.

*Populi rabies in ejus Statuam, nec  
non decretum hanc ob rem  
editum.*

*Thuan.*

*l. 100.*

*Spond. n. 18.*

Cum per octodecim dies Sedes vacaret, quidam odio in Papam accensibus haud immerito Hispani accensibantur, turmatim ad Capitolinam arcem concurrunt, & statuam viventis Sixto V. in ejus memoriam a Romanis erectam evertunt, quæsito obtentu quod exactionibus, novisque tributis populum oneraverit, corrasasque pecunias in arce sancti Angeli collocaverit verum Procerum nonnulli a Cardinalibus submissi insanam hanc populi fœcècem represserunt: inde vero Senatus occasionem arripuit edictum vulgandi, vi cujus impostero ulli Papæ adhuc vita superstiti statuam erigere inhibitu

§. LVI.

*Conclave pro electione novi Pontificis.*

*Spond.*

*Ann. 20.*

Feria sexta die septima Septembris novem dialibus exequiis pro defuncto Pontifice pro more celebratis quinquaginta quatuor Cardinales tum Romæ agentes sacris comitiis initium fecere, prius vero Gesualdus Cardinalis sacri Collegii Pro-Decanus in Vaticana Ecclesia Sacrum solemne de Spiritu sancto



in Sixti IV. Sacello celebrabat, atque Sæcul. XVI  
A.C. 1590.  
 Antonius Roccapudalius eloquenti ser-  
 mone de novi Pontificis electione disse-  
 rebat: eadem die Cardinales una-  
 omnes in comitiorum loco prandentes  
 postea fores occludi iusserunt: porro  
 vespere in sacello Paulino congregati  
 sunt omnes Prælati, ubi conclavis Mi-  
 nistri interposita juramenti Religione  
 spondebant, se exacte muneri suo, ac  
 ministerio ipsis commissio satisfacturos.  
 Ibidem etiam Oratores usque ad me-  
 diam noctem persistebant suorum Prin-  
 cipum Clientes commendaturi: iis vero  
 discedentibus portæ excubiis firmaban-  
 tur: eadem autem nocte Castanæo Car-  
 dinali proximam ad Pontificatum spem  
 affulgere spargebatur, absdubio ea ex-  
 ratione, quod Oratores pro eo potenter  
 intercessissent, atque aliunde notum ef-  
 fet, quod quamplurimi Cardinales Co-  
 lumnæ electioni adversarentur, eique  
 Hispani sese opponerent, atque Floren-  
 tini nonnisi complacendi studio eidem  
 suffragarentur; die autem octava Se-  
 ptembris Beatæ Virginis Nativitati sa-  
 cra plures Cardinales in Sixti Sacello  
 Sacris operabantur, alii vero rei di-  
 vinæ, quam Pro-Decanus peragebat,  
 præsentis sacra Synaxi sese reficiebant:  
 huic quoque solemnî sacro Cardinalis  
 G 2 sancti



Sæcul. XVI. sancti Georgii, quamvis vix convalesce-  
 A. C. 1590. ret, interesse voluit.

Itaque absoluto Missæ Sacrificio Car-  
 dinales una omnes superpelliceo, ac hu-  
 merali induti primo scrutinio facto de-  
 prehendebant, quod nullus suffragia  
 ad electionem requisita tulisset; vesperis  
 autem Madrutius Cardinalis Tridento  
 adventans conclave ingrediebatur, par-  
 cisque ante diebus de eligendo Comensi  
 Cardinale agebatur, quem pariter His-  
 pania Orator Madrutio commendabat,  
 illumque Alexandrinus Cardinalis ali-  
 unde potenter protegebat: attamen  
 Montalto palam eidem oblucente haud  
 ultra de Comensi mentio redibat, adeo  
 ut pari fato excluderetur, sicut Aldo-  
 brandinus Cardinalis, cui Hispani sese  
 opposuerant: altera die, in quam  
 Dominica inciderat, celebrato sacro  
 suffragia rursus examinabantur, ubi  
 Cremonensis Cardinalis non ita pridem  
 Romam delatus, ac conclave ingressus,  
 perlectis suffragantium schedis ad Sa-  
 cellum introducebatur, ut diploma re-  
 citari perciperet, solitoque juramento  
 sese obstringeret. Postea rursus de eli-  
 gendo Columna actum, ac plurimorum  
 studia in ejus favorem fervebant usque  
 ad feriam quintam, seu decimam ter-  
 tiam Septembris, tum enim illi Ministri,  
 qui in hisce comitiis deserviebant, sua  
 privi-



privilegia facta servari urgebant, ac <sup>Sæcul. XVI.</sup> proin fervente hoc diffidio aliquamdiu <sup>A C. 1590.</sup> res differebatur: cum ergo hi quosdam Deputatos nominarent, ac Decanum adirent, ejus suasu totum sacrum Collegium euidam statuto subscripsit, quo præfatis Ministris spondebatur, quod eadem gratiæ tam spirituales, quam temporales, quæ antea pro electione Sixti V. in nuperis Comitibus concessæ ipsis erant, rursus eisdem indulgerentur, auctisque eorum pensionibus, ac congruariis habitum clericalem, & tonsuram deferre permetterentur, ut hiis favoribus libere frui possent, prout in Sixti V. Bulla statutum fuerat.

## §. LVII.

*Frustranea sollicitatio pro eligendo Cardinale Columna.*

Feria tertia die undecima Septembris <sup>Tuan. hist. l. 100.</sup> cum celebratum esset sacrum de Spiritu sancto, tertia vice suffragia colligebantur, ubi tamen nihil memoratu dignum occurrebat, nisi quod Montaltus, atque Ascanius Columna electionem Marci Antonii Columnæ toto studio urgerent, quamvis vero non pauci vehementer obsisterent, has tamen difficultates, priusquam conventus solveretur, superandas sperabant. Feria etiam quarta iidem haud intermisso studio



Sæcul. XVI.  
A.C. 1590.

dio præfati Cardinalis electionem pro-  
 movere satagebant, porro Ascanius  
 præcipiti consilio haud utendum ratus  
 non paucos datam fidem fallere depre-  
 hendebat: insuper etiam altera die fe-  
 ria quinta Columnæ Cardinalis fauto-  
 res satis manifeste agnoscebant, quod  
 Hispani rem minus sincere agerent, ac  
 Montalti fautores erga suum Antesigna-  
 num parum fidem sese exhiberent, un-  
 de cognita horum dissensione plures  
 comitia longius protrahenda suspicaban-  
 tur: cum vero Deus hominum prudentiam  
 sæpius confundere soleat, hinc  
 luculento testatum reddidit experimen-  
 to, quod summorum Pontificum ele-  
 ctiones ipse solus pro suo arbitrio mo-  
 deretur, quippe Montaltus, qui con-  
 stanti suo erga Columnam patrocinio  
 ceteros Cardinales ad sua studia facile  
 pertrahendos sperabat, partim ab Hi-  
 spanis, partim a Borromæo præpedie-  
 batur, adeo, ut ipse æque, ac Asca-  
 nius a suo proposito non quidem animi  
 firmitate destituti, sed Marci Antonii  
 Columnæ oratione persuasi desisterent,  
 hic enim ambos ita alloquebatur: „de-  
 „centiæ leges haud permittunt, ut ob  
 „privatæ utilitatis rationes Ecclesia diu  
 „supremo suo capite destituta relinqua-  
 „tur: cum mihi haud immerito impu-  
 „tanda existimarem omnia illa mala,  
 „quæ



„quæ ex longiori mora Romanæ Urbi  
 „imminere possent, eoquod autem plu-  
 „res meæ electioni obsistere cognoscam,  
 „ex horum repugnantia manifeste in-  
 „telligo, Dei voluntatem non esse, ut  
 „ego sanctæ suæ Ecclesiæ Pontifex præ-  
 „sim: proin haud amplius de me cogi-  
 „tate.„ Hæc Columnæ verba non sine  
 ingenti modestia, atque humilitate  
 prolata tam intimo sensu Montalti ani-  
 mum penetrabant, ut is Madrutium San-  
 severino Cardinali patrocinari intelli-  
 gens non sine omnium Cardinalium  
 stupore mentem suam mutaret, quam-  
 vis & hic quidem ejus conatus haud  
 magis prosperum fortiretur exitum. (\*)

Sæcul. XVI.  
 A. C. 1590.

§. LVIII.

(\*) Quam fæcundus in describendus Pon-  
 tificum comitiis sit Continuator noster, facile  
 prehenditur ex ampla hac præsentis con-  
 clavis relatione, quam se ex Thuano, quem  
 solum allegat, mutuasse comminiscitur, cum  
 tamen hic duntaxat pauca hæc verba profe-  
 rat: *Itum in conclave est more solito, Et cum  
 per continuos sex dies crebra de Marco Antonio  
 Columna mentio fuisset, subortis repente diffi-  
 cultatibus summa votorum concordia cuncti in  
 Joannem Baptistam Castaneum Cardinalem con-  
 senserunt, Et dilata nihilominus in diem sequen-  
 tem electione eum Pontificem renuntiarunt.*



Sæcul. XVI.  
A.C. 1590.

§. LVIII.

*Castaneus Cardinalis in Papam  
electus.*

*Thuan. l. c.  
Spond. n. 20.*

Die decima quarta ejusdem Mensis Septembris feria sexta Cardinales suffragia colligentes deprehendebant quod Castaneus vulgo dictus Cardinalis sancti Marcelli solus viginti suffragia tulisset: quapropter hunc absdubio in Papam eligendum præfagiebant, cumque eidem pariter Sfortia, necnon Cardinales patria Genuenses potenter adhærerent, usque ad vesperam de futura ejus electione communis vox personabat: tum vero nonnulli vacillare videbantur, cum Montaltus hujus Cardinalis electioni obluertari audiebatur, faniores tamen illius repugnantiam velut temerariam carpebant, ejusque amici eum monebant, ne forte progressu temporis sibi exinde negotium facesseret: Sabbato autem die decima quinta ejusdem Mensis Cardinales, postquam summo mane res divina fuerat peracta, in Sacello Paulino congregati Cardinalem sancti Marcelli primo diluculo in summum Pontificem nominabant, ejus tamen electionem adhuc secretam teneri debere arbitrabantur, ut comitiorum Ministri pro Cardinalium suppellectili componenda, necnon pro infirmis ad sua pala-



palatia commodius deferendis necessa-  
 ria parandi spatium nanciscerentur: Sæcul. XVI.  
A.C. 1590.  
 verum ipsimet hi Ministri, cum Papam  
 prima illius diei aurora eligendum in-  
 telligerent, quantocius magis pretiosa  
 suorum Cardinalium vasa in falces col-  
 ligare, ac cellularum sepimenta deji-  
 cere cæperunt, ut militibus deprædandi  
 occasionem præriperent: postea com-  
 bustis suffragiorum schedis Cardinales  
 e Sacello egredientes Papam nondum  
 plene electum, brevi tamen comitia  
 esse absolvenda nuntiabant: demum  
 vero sese recipiebant, ubi sumpto jen-  
 taculo parum quieti indulgentes postea  
 una omnes superpelliceum, ac humerale  
 induti ad Aulam, indeque ad Pau-  
 linum Sacellum contenderunt, ut ibi-  
 dem Castaneum Cardinalem Pontificio  
 habitu ornarent.

## §. LIX.

*Neo-electus Papa Urbanus VII.  
 dictus.*

Neo-electus Pontifex, qui Urbanus Ciac. tom. 4.  
pag. 202.  
 VII. appellari voluit, postea ad  
 Basilicam Divi Petri deferabatur, ubi  
 ex singulari modestia, quæ ex ejus fa-  
 cie promicabat, haud temere omnes  
 judicabant, quod conditionis mutatio  
 nequaquam animi ejus sensa immutatu-  
 ra sit, quapropter populus turmatim con-  
 fluebat,



**Sæcul XVI.** fluebat, ac in genua procumbens effla-  
A.C. 1590. gitabat, ut omnibus bene precari vel-  
 let: porro postea ad aram sanctis Apo-  
 stolis sacram delatus ibidem solito ho-  
 norabatur obsequio, demum vero om-  
 nes Cardinales eundem usque ad suum  
 Palatium comitabantur. Ceterum Six-  
 tus V. Papa de futura hujus Cardinalis  
 electione adeo certus fuisse videbatur,  
 ut Castaneum semper singulari favore  
 prosecutus illius opera in gravissimis Ec-  
 clesiæ negotiis uteretur; tribus enim  
 Congregationibus illum præfecerat, ni-  
 mirum sacri Officii Curiae, necnon Con-  
 gregationi pro dijudicandis controver-  
 siis inter Episcopos, & Regulares e-  
 rectæ, ac denique illi, quæ circa Ec-  
 clesiastici status querelas, atque expo-  
 stulationes audiendas instituebatur: his  
 igitur benevolentiae, ac venerationis  
 testificationibus Sixtus Pontifex Casta-  
 neum obstringere satagebat, ut pari-  
 etiam affectu ipsius Nepotes prosequer-  
 retur: insuper sæpius eidem insinuabat,  
 nil sibi certius videri, quam quod ipse  
 suus olim Successor futurus esset, unde  
 cum Castaneus quondam sermonem in-  
 jiceret de perficienda quadam platea,  
 quam Sixtus ab Ecclesia sanctæ Cru-  
 cis inchoaverat, & per sanctæ Mariæ  
 Majoris vicum usque ad Templum san-  
 ctæ Trinitatis in Monte Pincio duxe-  
 rat,



rat, hic Pontifex ad Cardinalem sancti <sup>Sæcul. XVI,</sup>  
 Marcelli conversus dixerat: *hoc opus* <sup>A.C. 1590.</sup>  
*sua Eminentia complebit.*

§. LX.

*Ortus, & Historia Urbani VII.  
 Pontificis.*

**H**ic Pontifex Romæ die quarta Au- <sup>Ciac. Spand.</sup>  
 gusti Anno Domini millesimo quin- <sup>& Thu. l. c.</sup>  
 gentesimo vigesimo primo ex nobilissi-  
 mo genere ortus filius erat Cosmæ No-  
 bilis Genuensis, & illustrissimæ Matro-  
 næ Romanæ ex Ricciorum familia natæ,  
 quæ Neptis erat Jacobatii Cardinalis,  
 cujus cura Castaneus liberaliter edu-  
 catus jam a teneris unguiculis cano-  
 nicæ, ac civilis jurisprudentiæ studio  
 operam navabat, postea vero utram-  
 que disciplinam publice professus in-  
 signem in rebus gerendis dexteritatem  
 præferebat: quapropter a Julio III.  
 Rossanensis Archiepiscopus, a Pio au-  
 tem quarto Legatus ad Concilium Tri-  
 dentinum nominabatur, porro inde re-  
 dux primo in Hispaniam, & postea Ve-  
 netias tanquam Sedis Apostolicæ Nun-  
 tius decernebatur, ubi Henricum III.  
 e Polonia reversum salutabat, suaque  
 morum comitate, pacisque studio tan-  
 topere Regis Catholici benevolentiam  
 sibi conciliaverat, ut ejusdem filiam e  
 sacro fonte suscipere mereretur: præ-  
 terea



Sæcul. XVI  
A.C. 1590

terea tanquam Legatus præter morem missus Coloniam venerat, ut summi Pontificis nomine colloquiis interesset, in quibus de pace inter Leodiensem Episcopum, & Hispaniæ Regem, necnon foederatas Belgii Provincias agebatur: denique in præmium amplissimi meriti, atque obsequii, quod in plurimis, diversisque negotiis sacrae Sedi præstiterat, a Gregorio XII. Romana purpura honoratus est unacum aliis octodecim, qui ab eodem Pontifice Mense Decembris Anno Christi millesimo quingentesimo octogesimo tertio Cardinalium Collegio adscripti inter suos omnino quatuor numerabant, qui ad supremum Pontificatum evecti sunt: erant autem I. Castaneus sub nomine Urbani VII. II. Gregorius XIV. III. Innocentius IX. IV. Leo XI.

§. LXI.

*Fausta hujus Pontificatus auspicia.*

Thuan.  
l. 100.  
Gaz. l. c.

Prima Pontificatus sui die Papa ad Vaticanum Palatium deductus Senonensi Cardinali duo aureorum millia, & Albanensi mille donabat, atque omne æs alienum, quo Mons Pietatis gravabatur, solvi jubebat, insuper cunctam pecuniam, quam adhuc Cardinalis quibusdam mutuam dederat. eis liberaliter remisit, ingentemque auri copiam



piam in Urbis pauperes erogari, omniumque egenorum, qui in variis Parochiis erant, nomina describi voluit, ut cujuslibet necessitati subvenire valeret: præterea annonæ Præfecto præceperat, ut in Romana Urbe panis pondus augetet, illius vero pretium imminueret, si tamen exinde damnum Pistoribus emergeret, illud sese compensaturum spondebat Pontifex: luxum etiam summo odio habebat, porro ut ejus Ministri ceteris exemptio essent, Domesticis suis sericarum vestium usum interdixit, atque ædificium Ecclesiæ sancti Petri, necnon Vaticani, & Quirinalis Palatii, quod Sixtus V. inchoaverat, absolvi statuit, ac defuncti Pontificis insignia affigi jussit, qua agendi ratione se ab omni ambitione omnino alienum testabatur, nec minus emendabat Datariam, suos vero affines, qui accepto suæ electionis nuntio Romam convolaverant, urbe excedere jubebat, quamvis inter illos non pauci essent, qui utile Ecclesiæ obsequium præstare potuissent, cumque ad munia tum vacantia sibi proxime sanguine junctos promoveri rogaretur, respondit: „hos nominare nolo, ut cum majori libertate „illos castigare valeam, qui suo officio „deerunt:“, hæc sane verba prudenti Principe, qui publicam utilitatem suæ fami-

Sæcul. XVI.  
A.C. 1590.



Sæcul. XVI. familiæ commodis præfert, dignissima  
A.C. 1590. sunt.

## §. LXII.

*Hujus Pontificis infirmitas, atque  
obitus.*

*Ciac. p. 206.*

*Spond. n. 2c.*

*Ferd. Ughel.*

*Ital. Sacr.*

*tom. 9.*

Cuncta admodum pia, quæ animo conceperat, opera explendi opportunitatem Urbano VII. præripuit mortis invidia, quippe tertio Pontificatus sui die vehementi febre corripiebatur, populo Romano adhuc in immensam effuso lætitiâ, quæ tamen brevi in luctum versa est, cum enim cives ob tam præclari Pontificis virtutes, morumque integritatem sibi cuncta prospera pollicerentur, derepente ingens cunctos invaserat consternatio: unde diu, noctuque omnes Ecclesiæ apertæ conspiciabantur, quadraginta horarum preces decernebantur, Sodalitates, Religiosi, omniumque Parochiarum Sacerdotes, & Magistratus populo undique confluentes ad sancti Petri Basilicam, aliasque Ecclesias supplicantium more incedebant, ut pro recuperanda tam sancti Pontificis valetudine preces ad Deum funderent: ast divinum Numen, cum eidem virtutum suarum præmium in cælis paratum haberet, supplicantium vota non exaudiebat, sed illum Ecclesiæ suæ non nisi spectandum præbebat, quin eam diutius



tius ab illo gubernari voluerit; quippe ne-  
 quidem pro more coronatus nullos crea-  
 bat Cardinales, nullamque conferebat  
 dignitatem, sed vespere die vigesima  
 sexta Septembris, cum febris vehemen-  
 tia plurimum ingravesceret, conscien-  
 tiam suam a noxis expiavit, ac sacram  
 Synaxin, atque extremam unctionem  
 recepit, ubi dein cum summa animi  
 tranquillitate Spiritum suum decimo  
 tertio post electionem suam die, seu  
 vigesimo septimo ejusdem Mensis Deo  
 commendabat prius in hæc prorumpens  
 verba: „Enimvero Deus, qui cuncta  
 „admirabili gubernat sapientia, me sum-  
 „mo hoc fastigio non esse dignum cen-  
 „suit, & cum humanæ imbecillitatis,  
 „quæ cunctos peccati vinculis constri-  
 „ctos tenet, vitio facile potuissem in-  
 „pejora prolabi, non sine funesto lapsus  
 „mei dedecore, hinc divina bonitas ista  
 „vincula solvere, meamque animam,  
 „quam mihi dederat, mature a me re-  
 „petere voluit. „

Sepultus est in Ecclesia sancti Petri,  
 quamvis in Sacello, quod ipse in Tem-  
 plo Fratrum Augustinianorum extrui  
 curabat, terræ mandari præcepisset: ce-  
 terum Pompæjus Ugonius defunctum  
 oratione funebri honorabat, Joannes  
 vero Roscius ad sanctum Petrum Pœni-  
 tentiarius historiam vitæ ejus conscripsit.

§. LXIII.

Sæcul. XVI.  
 A C. 1590.



Sæcul. XVI.

A C 1590.

§. LXIII.

*Fridericus Cornelius Cardinalis Sede vacante mortuus.*

*Ciacon. t. 4.  
pag. 158.  
victorel. in  
addit. ad  
Ciacon. Ug-  
hel. l. c.*

Sede adhucdum vacante die quarta Octobris obiit Fridericus Comarus seu Cornelius patria Venetus Ordinis sancti Joannis Hierosolymitani Eques Cardinalis Presbyter titulo sancti Stephani in monte Cælio. Is Patrem habuit quemdam Reipublicæ Venetæ Senatorem, ac Mense Junio anno Christi millesimo quingentesimo trigesimo primo in primis juventutis suæ annis indefesso studio jurisprudentiæ operam navavit: verum exercitationes magis solidas longe præferens, atque Ordinem Melitensium ingressus Cypri Prior, Bergomensis, & postea Patavinus Episcopus nominabatur. hacque dignitate insignis a Pio IV. Legatus ad Tridentinam Synodum decretus ibidem sua pietate non minus, ac eruditione omnium admirationem in se rapiebat, unde etiam a Gregorio XIII. ad sedanda diffidia propter visitationum jus inter Clerum Venetum, & Episcopum Veronensem exorta feligebatur: demum vero a Sixto V., dum hic Mense Decembri Anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo octogesimo quinto secunda jam vice Cardinales creaverat, Romana

Pur-



Purpura decorabatur, atque in universa <sup>Sæcul. XVI.</sup> A.C. 1590.  
 ditione Ecclesiastica frumenti curam  
 gerere jubebatur, quo in munere sum-  
 mam exhibebat solertiam. Ceterum il-  
 lius defuncti corpus primo in Ecclesia  
 sancti Sylvestri in Monte Quirinali de-  
 positum, & postea suorum hæredum  
 cura Patavium translatum in Ecclesia  
 Cathedrali sepultum est: obiit autem  
 annos natus quinquaginta novem, tres  
 Menses, & viginti dies, qui Patavinam  
 Ecclesiam suam amplissimis bonis locu-  
 pletabat, insuper ibidem Ecclesiam  
 Theatinorum construere cæpit postea ab  
 Urbinatis Archiepiscopo absolutam. Ei-  
 dem Cardinali Historia de translatione  
 Cathedralis Ecclesiæ Bergomensis ad-  
 scribitur.

§. LXIV.

*Comitia sacra pro eligendo Gre-  
 gorio XIV.*

Quarta post hujus Cardinalis obitum <sup>Tha. l. 100.</sup>  
 die, seu octava Octobris omnes  
 Cardinales numero quinquaginta duo,  
 qui tum Romæ agebant, sacris comi-  
 tiis initium fecere, quibus paulopost  
 Austriacus Cardinalis, & Henricus Ca-  
 jetanus non ita pridem a sua Legatione  
 e Francia redux sese adjunxerunt: porro  
 ex illis, quos Julius III. Cardinales  
 creaverat, solus supererat Simonetta:  
*Hist. Eccles. Tom. LI. H ii ve-*



Sæcul. XVI.  
A.C. 1590.

ii vero, qui a Pio IV. Purpuram obtinuerant, aderant numero septem, quorum princeps erat Althempsius: sed autem numerabantur a Pio V. electi, ex quibus præcipuus erat Cardinalis Alexandrinus: porro Sfortia caput erat illorum sexdecim, qui Cardinalitiam dignitatem Gregorio XIII. debebant, et denique a Sixto V. electorum Cardinalium princeps exstitit Montaltus, qui viginti quatuor suffragia numerabat: interim validior erat Hispanorum pars, qui quamvis a variis Pontificibus essent creati, una omnes tamen seorsim Madrucio adhærebant: demum Magni Etruriæ Ducis clientes dirigebat Marianus Montanus.

Priusquam hisce comitiis initium daretur, Sfortia, & Montaltus clam Montis - Regalis Cardinali suffragari ceperant, re autem comperta Olivaresius Comes vehementer exinde commovebatur, eo quod hic Cardinalis non esset ex illorum numero, quos Rex Catholicus nominabat, proin hac agendi ratione omnia molimina, quæ pro eligendo Cardinale Sanseverino agitabantur, in irritum cecidissent: eapropter hic Comes ad seram usque noctem in comitorum loco sese detinuit, ut adversus hunc Cardinalem declamaret: tandem palam profitebatur, quod septem



ptem ex Purpuratis nominare iussus <sup>Sæcul. XVI.</sup>  
 esset, hi autem essent sequentes: San- <sup>A.C. 1590.</sup>  
 severinus, Gabriel Paleottus, Madrucius,  
 Ptolemæus Gallius Comensis, Marcus  
 Antonius Columna, Joannes Antonius  
 Fachinettus, & Nicolaus Sfondratus:  
 porro ex iis primos tres præcipue com-  
 mendabat Philippus II. Hispaniæ Rex  
 ipse Princeps: præcipue vero Madru-  
 tio, omnibusque ei addictis Comes in-  
 jungebat, ut præter hosce septem mox  
 recensitos nullum alium in Papam eligi  
 permitterent: unde totum sacrum  
 Collegium in apertas indignationes pro-  
 rumpebat: hæc enim ceterorum om-  
 nium exclusio eo magis injusta, mi-  
 nusque decens videbatur, cum hucus-  
 que de ejusmodi agendi ratione nul-  
 lum exstaret exemplum, ac Rex Catho-  
 licus nonnisi unum, aut ad summum  
 duos, sæpe autem nullum excludere  
 solitus esset, adeo, ut nullo pacto com-  
 prehendi valeret, quam ob causam  
 Montis-Regalis Cardinalem excluderet,  
 cum tamen hic Hispaniæ Regis subdi-  
 tus, Generi sui Sabaudicæ Ducis Ami-  
 cus, atque in comitiis post Gregorii XIII.  
 mortem celebratis ab ipso met Rege Ca-  
 tholico nominatus fuisset, nec sibi san-  
 guine junctos haberet, aliunde vero  
 Domui Austriacæ præclara admodum  
 obsequia præstitisset, hinc omnibus per-



Sæcul. XVI. A.C. 1590. suafum erat, quod hic Orator pro  
duntaxat arbitrio hunc Cardinalem ex-  
cluserit, veritus, ne hic adhucdum in  
Hispanos indignationem foveret, eo  
quod in prioribus comitiis a Rege Ca-  
tholico nominatus non fuisset.

Altera die Montaltus, cum Sfor-  
tia, Altempfius, ambo Gonzagæ, et  
uterque Columna se alterutri ex illis  
quos proxime proponeret, sua suffragia  
collaturos spondissent, illos datæ  
dei memores esse iussit, proposuitque  
Hypolitum Aldobrandinum ob profun-  
dam suam eruditionem, morum integri-  
tatem, modestiam, famamque sibi in  
Legatione Polonica partam celeberrimam:  
unde hujus Cardinalis causa  
vespere tantopere promotâ videbatur,  
ut ejus fautores duo suffragia ultra nu-  
merum requisitum in ejus favorem con-  
cursura existimarent, proin sub cre-  
pusculo illum tanquam Papam se ve-  
neraturos sperarent.

Verum vix in ullis comitiis major  
animorum dissensio, ac varia concu-  
rentium studia vigeant, adeo, ut cuncta  
recensere non minus supervacaneum,  
quam tædiosum foret. Tandem post  
crebras, diversasque sollicitationes, quæ  
ex innata, ac omnibus ferme cujuscun-  
que conditionis hominibus communi  
affectuum diversitate, atque propen-  
sione



sione oriuntur, die quinto Decembris <sup>Sæcul. XVI.</sup>  
 Cardinalis Cremonensis in summum <sup>A.C. 1590.</sup>  
 Pontificem eligebatur, postquam hæc  
 comitia duos omnino Menses demptis  
 tribus diebus tenuere.

§. LXV.

*Historia huius Pontificis.*

Hic idem neo-electus Papa Grego- *Ciac. l. c.*  
 rii XIV. nomen assumpsit, antea  
 vero Nicolaus Sfondratus nominatus:  
 filius is erat Francisci Sfondrati Nobilis  
 Cremonensis, celebris Causidici, & Me-  
 diolanensis Senatoris, qui post Annæ  
 Vicecomitis uxoris suæ mortem a Pau-  
 lo III. Pontifice Mediolano Romam ac-  
 cersitus Cardinalitia dignitate honora-  
 tus est: ejus autem Filius Nicolaus  
 Cremonæ die tertia Februarii Anno  
 Salutis nostræ millesimo quingentesimo  
 trigesimo quinto natus, cum in lucem  
 immaturo partu editus fuisset, ejusque  
 Mater in puerperio decessisset, semper  
 corpore imbecillis, ac teneræ admo-  
 dum habitudinis erat: nihilominus Pa-  
 tavii, & Perusæ sedulam civili juris-  
 prudentiæ operam navans Doctoratus  
 laurea decoratus est, ut quondam Me-  
 diolanensis Senatoris dignitatem, quâ  
 ejus Parens florebat, promereri posset:  
 cum tamen longe vehementiorem ani-  
 mi propensionem ad sacram militiam in

H 3                      semet-



Sæcul. XVI.  
A.C. 1590.

femetipso experiretur, hinc relicto forensi strepitu, primo Abbas, ac demum cedente Friderico Cæſio Cremonensis Episcopus salutabatur, qua etiam dignitate conspicuus a Pio IV. ad Tridentinum Concilium decretus ibidem iis adhærebat Episcopis, qui residendi necessitatem ex lege divina Præſulibus impositam censebant. Postea suo animi candore, ac actionum integritate sibi benevolentiam Gregorii XIII. conciliabat, a quo etiam Romana Purpura honoratus est eodem tempore, quo anno Christi millesimo quingentesimo octogesimo tertio sacrum Collegium tot Purpuratis auctum est, qui postea tanquam Pontifices Ecclesiam illustrarunt.

§. LXVI.

*Inaugurationis solemnia.*

*Ciac. l. c.*

Quamprimum Gregorius XIV. Pontificatum adeptus erat, mox Cardinalium unicuique mille aureos donari iussit, ut expensas durantibus comitiis factas refarcire possent: insuper in egena monasteria largas eleemosynas distribuit: demum die octava Decembris a Cardinale Austriaco, Constantiensis Episcopo, ac sanctæ Ecclesiæ Romanæ Archidiacono inauguratus est, ubi ad festivas populi acclamationes sæpius subridere videbatur, quod tamen nequa-



quaquam insolenti lætitiæ, sed potius pravæ rictus diducendi consuetudini tributum, quamvis idipsum pluribus dicitur occasionem postea malevolis præbuerit, nihilominus sui Pontificatus auspiciis crebris beneficiis illustra reddidit, quippe dignitates, atque Officia a Sixto V. abolita restaurans Romanæ urbi annona, & frumento diu antea laboranti abunde subveniebat. Postea feria quarta die decima nona Decembris Paulum Sfondratum Pauli Sfondrati fratris sui Filium, licet absentem, Cardinalium Collegio adlegit, fratrem vero suum Sfondratum Comitem supremum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Belliducem nominavit.

Lucemburgicus Dux, qui tum apud Albertum Gondium Radefiarum Ducem diversabatur, mox cognita Gregorii XIV. electione, quantocius ad eundem literas dabat, ut neo-electi Pontificis animum exaggerata fœderatorum rabie, malisque in Francia concitatis sacro fœderi infensum redderet, atque hujus Pontificis patrociniū pro hoc Regno exoraret.

## §. LXVII.

*Concilium Tolosanum a Joyosa Cardinale celebratum.*

H 4

Hifce



Sæcul. XVI.  
A.C. 1590.

Labb. Coll.  
Cons. t. II.  
pag. 1378.

Hisce tumultibus in Francia adhuc ferventibus Joyosa Cardinalis, atque Archiepiscopus Tolosanus Mense Majo in eadem Urbe Concilium celebrabat, ad quod convenerant sancti Populi, Rivenfis, & Vaurenfis Episcopi, necnon Lombariensis Ecclesiæ Præpositus, prout etiam Vicarii Generales Apamiensis, Mirapicensis, & Montabanensis Præfulum, quorum Sedes tum vacabant: in hac igitur Synodo plura admodum salutaria condebantur decreta de juribus, atque officiis Episcoporum, de Capitulis, Parochis, Presbyteris, & Clericis, Prædicatoribus, Vicariis foraneis, & Monialibus. In secunda parte agebatur pariter I. De Sacramentis, & Sacramentalibus. II. De Baptismo, ac de Confirmatione. III. De Pœnitentia, & Confessione. IV. De Eucharistia, & sacra Communione, necnon Missarum celebratione. V. De Sacramento Ordinis. VI. De Matrimonio. VII. De extrema Unctione, ac de cura pro mortuis agenda. VIII. De Sepulchris, exequiis, & funeribus. IX. De Reliquiis, & sanctorum imaginibus. X. De indulgentiis. XI. De cibis vetitis, & eorum Dispensatione. XII. De Feriis, earumque cultu. XIII. De votis, & religiosis peregrinationibus. XIV. De Ecclesiis, capellis,

Alta-



Altaribus, ceterisque ejusmodi. XV. <sup>Sæcul. XVI.</sup> De Oratoriis in via fitis. XVI. <sup>A.C. 1590.</sup> De Scholis, & Sodalitatibus doctrinæ Christianæ. XVII. De Universitatibus, & Collegiis. XVIII. De Seminariis Clericorum, de Hospitalibus, leprosa-riis, aliisque piis locis. XIX. De Confraternitatibus, & Sodalitiis.

Denique tertia pars agit. I. De excommunicatione. II. Jurisdictione Ecclesiastica, & judiciali foro Episcopi. III. De rerum Ecclesiasticarum, beneficiorumque, aut locatione, aut alienatione. IV. De Decimis, & oblationibus. V. De Simonia, & confidentia. VI. De provisionibus, & renuntiatione beneficiorum. VII. De residentia. VIII. De visitatione. IX. De jure patronatus. X. De sacra inquisitione. XI. De libris prohibitis. XII. De hæreticis, magis, sortilegis, astrologis. XIII. De blasphemia. XIV. De Usuris. XV. De testamentis, & legatis piis. XVI. De exemptis, & privilegiatis. Ceterum duntaxat horum decretorum titulos indicavimus, cum singula recenseri haud possent, atque aliunde nonnisi ea, quæ in prioribus Conciliis statuta sunt, innovata videantur. Demum absoluta hac Synodo aliud Concilium ad diem vigesimam nonam Aprilis Anni post Christum natum millesimi



Sæcul. XVI  
A.C. 1590.

quingentesimi nonagesimi tertii indi-  
ctum est.

§. LXVIII.

*Flaminii Nobilii obitus.*

*Thuan. l. 99.  
Simon  
Critiq. de  
l'ancien  
Test. l. 2.  
cap. II.  
lett. chois.  
t. 2. p. 51.*

**H**oc anno Lucæ in patria sua Flami-  
nius Nobilius anno ætatis suæ quin-  
quagesimo octavo decessit. Hic ex il-  
lustri genere ortus, ac Philosophiæ scien-  
tia clarus postremos vitæ suæ dies Theo-  
logiæ studio sacrabat: Romam vero de-  
latus imprimendis Bibliis, quæ Sixtus  
V. Papa in Vaticano Palatio edi cura-  
bat, totum sese impendebat, necnon  
operam suam navabat restaurandæ ver-  
sioni latinæ, quæ ante vulgatam in usu  
erat, quam in rem diversa illius frag-  
menta, quæ sparsim in sanctis Patribus  
reperiuntur, collegit, simulque græcos  
septuaginta Interpretum textus, prout  
in editione Romana habentur, ad ver-  
bum latine reddidit, huicque labori  
annotationes adjecit, in quibus veterum  
Interpretum græcorum fragmenta re-  
tulit: scripsit insuper hic idem Author  
quosdam singulares tractatus, quos in-  
ter recensentur tres libri de hominis  
felicitate, duo libri de amore, seu de  
vera. & falsa voluptate, & tractatus de  
prædestinatione itidem in duos libros  
divisus: denique sancti Chrysofomi ser-  
mones in Epistolam Divi Pauli ad Phi-  
lippen-



lippenfes præter alia quædam græco-  
rum Patrum opera latino reddidit.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1590.

## §. LXIX.

*Petri Galefinii fata.*

Ad eundem annum Petri Galefinii pa-  
tria Mediolanensis, Protonotarii  
Apostolici decessus refertur. Hic in  
linguarum, & antiquitatum ecclesiasti-  
carum studio versatissimus novam Mar-  
tyrologii Romani editionem adornabat,  
illamque styli novitate celebrem adno-  
tationibus, gestisque historicis ad san-  
ctorum vitas adductis augebat, totum-  
que opus Gregorio XIII. summo Pon-  
tifici nuncupatum Mediolanensibus lite-  
ris Anno Domini millesimo quingen-  
tesimo septuagesimo septimo excudi cu-  
rabat: præcipue vero hoc opus omni-  
bus Ecclesiis commune reddere inten-  
debat: ast nimia in eo prolixitas, mi-  
norque in citationibus, & factis fide-  
litas carpitur, quapropter a Censoribus  
Romanis nunquam fuit approbatum:  
præterea Galefinius plures sancti Gre-  
gorii Nysseni, Theodreti, aliorum-  
que tractatus latinitate donabat, simul-  
que edebat dissertationem de Obelisco,  
quem Sixtus V. Anno Salutis nostræ  
millesimo quingentesimo octogesimo  
sexto Romæ erigi jusserat. Biennio  
post Galefinius aliam vulgabat disser-  
tatio-

Dupin Bibl.  
Sæc. XVI.

p. 4 p. 523.

Possev. app.

Sacr. Mi-

væus de

Script.

Eccl. Sæc.

XVI.



**Sæcul. XVI** tationem circa tumulum ab eodem  
**A.C. 1590.** Pontifice in Pii V. memoriam erectum,  
 præterea edebat summorum Pontificum  
 Historiam, quam *Theatrum Pontificale*  
 appellitabat: insuper ipsius cura Medio-  
 lanensis Ecclesiæ acta publicam lucem  
 aspexere: denique præter Historiam de  
 vitis sanctorum ejusdem Ecclesiæ ad-  
 notationes edidit in textum Græcum  
 septuaginta Interpretum, necnon Com-  
 mentarium in Pentateuchon.

§. LXX.

*Ambrosius Moralez mortuus.*

**Thuan. l. 99.** Pariter in Hispania decessit Ambrosius  
**Nicol. Aut.** Moralez, seu Morales, Cordubæ na-  
**Bibl. Hisp.** tus, ac Filius Antonii Moralez cele-  
**Spond hoc** berrimi Medici, qui in Complutensi  
**ann. n. 23.** Universitate Philosophicas disciplinas  
 publice tradebat: ejus autem Filius  
 Ambrosius literarum humaniorum co-  
 gnitionem ferme neglectam in patria  
 sua ad pristinum florem revocabat, de-  
 mum vero in Salmanticensi, & Com-  
 plutensi Academia evoluta Theologici  
 studii curriculo Ordinem sancti Domi-  
 nici ingressus est, paulopost tamen di-  
 missus est, eoquod væsano impetu in-  
 stigatus ad refrænandas libidines sibi  
 virilia exemplo Origenis Adamantii am-  
 putasset: nihilominus sacræ militiæ no-  
 men dederat, atque in Complutensi Uni-  
 versi-



versitate humaniores literas professus  
 præclaros admodum Discipulos exco-  
 lebat, ex quibus eminuere Bernardus  
 Sandoval, postea Cardinalis, atque  
 Archiepiscopus Toletanus, Ciaconius,  
 & Joannes Austriacus Nothus Caroli V.  
 Filius: præterea Ambrosius Hispaniæ  
 Historiam a Floriano Campensi de Za-  
 mora inchoatam profecutus illam la-  
 tino sermone edidit, pariterque Tabu-  
 lam Ceberis in patriam linguam tran-  
 stulit, ac latine elucubravit Urbis Cor-  
 dubensis patriæ suæ descriptionem, quæ  
 in secundo tomo Scriptorum Hispanicæ  
 Historiæ unacum Alvarii Cordubæ ope-  
 ribus a Moralesio editis habetur. Cete-  
 rum summam eruditionem pari pietate  
 conjungebat, atque assidua contempla-  
 tione ingens æternitatis desiderium in  
 animo suo fovebat, ac piæ huic exerci-  
 tationi intentus Compluti Anno ætatis  
 suæ septuagesimo septimo animam Deo  
 reddidit.

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1590.

§. LXXI.

*Martini Duncani extrema.*

**E**odem hoc anno die decima sexta *Miræus*  
 Aprilis Martinus Duncanus Cam-  
 piduni in Coloniensi Diæcesi natus A-  
 mersfordiæ in Hollandia mortalitatem *elog. Belg.*  
 exiit: natus is erat Anno Salvatoris *pag. 46.*  
 nostri millesimo quingentesimo quinto, *Joan. Her-*  
 Duncan. *sus in vita*  
 André Bibl. *Duncan.*  
 atque *Belg.*



Sæcul. XVI. atque in Lovaniensi Universitate studiis  
A.C. 1590. operam navans tam in Theologicis,  
 quam Philosophicis disciplinis celeberrimum sese reddidit, unde Parochiæ  
 cuidam in Hollandia præpositus gregem suum evangelica sollicitudine pascēbat, & residuas temporis horas debellandis Protestantibus impendebat, quos calamo, immotoque fidei studio infectabatur, ac sæpius cum eis Delphi in arenam descendebat, ubi Davidis Georgii celeberrimi Anabaptistarum Coriphæi deliriis sese vehementer opposuit, atque ex hisce Sectariis quamplurimos ad Ecclesiæ sinum revocavit: postquam vero hæretici Hollandiam suis armis subjecerant, gravissima ab eis mala perpeti cogebatur, nihilominus semper imperterrito Zelo fidem Catholicam propugnabat, unde Hayæ Decanus nominari merebatur, in qua dignitate Guilielmo Lindano successerat, gravique rationum pondere Magistratum continuo hortabatur, ut Calvinæ hæresi tum nascenti fortiter sese opponeret: ast ob fervens suum Religionis studium inde expulsus Amstelodamum, inde vero Amersfordiam secessit, ubi a civibus cum ingenti gaudio excipiebatur. Scripsit diversa opera, atque inter alia I. librum de vera Christi Ecclesia, II. duos tractatus de Sacrificio Missæ,



Missæ, III. tres tractatus de discrimi- Sæcul. XVI.  
 ne, & cultu piarum Imaginum, & il- A. C. 1590.  
 larum, quæ nullam pietatem spirant.

## §. LXXII.

*Hieronimi Zanchii interitus.*

**E**x ipsis etiam Protestantibus Theo- Thuan. l. 99.  
 logis nonnulli hoc anno decefferunt, Melch.  
 atque inter eos præprimis Hieronymus Adam vit.  
 Zanchius, Bergomi in Italia natus, qui Script.  
 cum Petro Martyre Argentinam auffu- Germ. Labb.  
 git. Hic anno ætatis suæ decimo quin- de Script.  
 to Ordinem Fratrum Eremitarum sancti Eccl.  
 Augustini ingressus in Lucensi Monaste-  
 rio agebat, dum Petrus Martyr, qui  
 huic cænobio præerat, ipsum æque, ac  
 plures alios hujus Conventus Religio-  
 sos Zwinglii veneno infecit, postea vero  
 Zanchius hanc sectam Argentinæ pub-  
 lica professus est, cum vero Petrus Mar-  
 tyr in Angliam abiret, Zanchius An-  
 no Christi millesimo quingentesimo quin-  
 quagesimo quarto falsam hanc doctri-  
 nam primo Argentinæ, & postea apud  
 Grifones Clavennæ, demumque Ba-  
 fileæ tanquam Professor tradere jube-  
 batur, ubi usque ad annum a partu  
 Virginis millesimum quingentesim se-  
 ptuagesimum octavum subsistens tan-  
 dem Spiram contendit, qua tamen urbe  
 aliquot post annis relicta Heidelbergæ  
 firmam sedem figebat, qua etiam in  
 urbe



Sæcul. XVI.  
A.C. 1590.

urbe die decima nona Novembris annos natus septuaginta quinque animam evomuit. Erat is Vir ceteroquin moderatus, qui de Ecclesia Romana ferme semper satis modeste loquebatur, illam quoque Matrem suam appellans, sæpiusque significabat, se ad Ecclesie finem reverti paratum esse, si nonnulli abusus, quos in Ecclesiam circa fidem, & disciplinam irrepsisse mentiebatur, emendarentur. Hoc animi sui propositum Zanchius prodidit in sua fidei professione, quam anno ætatis suæ sexagesimo ad Ulysses Martinengum Baraconis Comitem transmiserat, ac partim ejus, partim illius familiæ nomine imprimi curaverat. Ceterum posteris reliquit plura amplæ eruditionis suæ monumenta, ex quibus celebrantur. I. Ejusdem Miscellanea Theologica. II. Tractatus de tribus Elohim. III. Dissertationes de natura divina, Operibus Dei, & incarnatione. IV. responsum ad Ariani librum. V. Speculum Christianum. VI. Opusculum de Matrimonio spirituali Christum inter, & Ecclesiam.

§. LXXIII.

*Jacobi André vulgo Schmidelini decessus.*

Alius



**A**lius ex Protestantibus Lutheranae  
 sectae magis addictis hoc anno periit  
 nomine Jacobus Andre, seu Enderle,  
 qui obeunti Joanni Brentio Cancellarius,  
 & Rector in Tubingana Universi-  
 tate successit. Is anno post Christum  
 natum millesimo quingentesimo vigesi-  
 mo octavo die vigesima quinta Martii  
 Weiblingae Wirtembergici Ducatus op-  
 pido natus per ludibrium vulgo Schmi-  
 del, seu Faber cognominabatur, eo quod  
 ejus Parens fabrilis tractasset: cum au-  
 tem Jacobi Parentes summa egestate  
 premerentur, quamvis jam tertio anno  
 literis operam navasset, a studiis tamen  
 recedere cogebatur: porro nonnulli, qui  
 in hoc puero vehementem ad literas  
 propensionem animadvertabant, de il-  
 lius educatione solliciti, eum ad Col-  
 legium mittebant, ubi tam uberes fece-  
 rat progressus, ut evoluto Philosophiae  
 curriculo hebraicae linguae gnarus an-  
 no Incarnationis Dominicæ millesimo  
 quingentesimo quadragelimo sexto Tu-  
 bingae Minister crearetur, ac saepius  
 cum Genevensibus Pastorculis praeci-  
 pue ad Pelicardi montem cum Theo-  
 doro Beza congregiebatur; insuper a  
 praecipuis Confessionis Augustanae Prin-  
 cipibus ad varia negotia expedienda  
 selectus etiam ad Pommacentem dispu-  
 tationem decernebatur, & quamvis ea  
 Hist. Eccles. Tom. I. I vix

Saecul. XVI.  
 A.C. 1590.

Thuan. l. 99.  
 Melch. vit.  
 Germ.  
 Theol.



Sæcul. XVI  
A.C. 1591.

vix non jam absoluta primum adventasset, cum tamen præsentè Badenii Marchione a Joanne Pistorio Catholico in hac disputatione turpiter devictus fuisset, ex mærore die septima Januarii anno ætatis suæ sexagesimo secundo decessit. Scripserat plurimos libros, quos inter præcipue liber de concordia, aliique tractatus de Ubiquitate celebrantur. Referunt Scriptores Catholici, quod Schmidelinus doctrinæ, quam divulgabat, falsitate recognita ad finem vitæ suæ rursus ad Ecclesiæ sinum re-  
versus sit, quamvis id Protestantes insufficientur, nec satis certa desuper argumenta præsto sint.

## §. LXXIV.

*Gregorius XIV. fœderatis favens.*

*Thuan.*

*l. 101.*

*Davil. l. 12.*

*Spond. n. 4.*

Interea fœderatis quædam accesserat prosperitas, quam sibi nunquam polliceri potuisse videtur: quippe Gregorius XIV. illis tanto fervore patrocinabatur, ut majus Religionis studium, quam prudentiæ specimen, edere videretur; non enim eisdem duntaxat pecuniarum, militumque suppetias promittebat, sed etiam eisdem spem fecerat, fore, ut Legatum in Franciam ablegaret, qui eos in sua seditione firma-



ret. (\*) Hanc in rem ad Philippum Sæcul. XVI.  
A.C. 1591.  
Segam Placentinum Episcopum Sedis  
Apostolicæ Nuntium literas transmit-  
tebat, in quibus hæc perscripsit: „Ex  
„quo ad summi Apostolatus fastigium  
„euectus sum, nihil mihi magis in vo-  
„tis fuit, quam ex nobilissimo gal-  
„liæ regno impios hæreticorum erro-  
„res profligare, Catholicam fidem re-  
„staurare, ac dissidentium animorum  
„motus stabili pace componere: porro  
„id solum Catholico, pacificoque, ac  
„Eccle-

(\*) Quod hæretici Scriptores etiam san-  
ctissima Pontificum facta, & consilia inter-  
pretatione sinistra commaculent, odio, quod  
in eos conceperunt, ac cum lacte materno in-  
timo hauserunt, adscribendum venit: quod  
autem Continuator, qui tamen Catholicus vi-  
deri vult, horum exemplum imitetur, imo  
ipso etiam proscripito suo Thuano iniquius hu-  
jus Pontificis fervorem, ac Religionis Ca-  
tholicæ studium ad fovendæ seditionis deside-  
rium detorqueat, haud dissimulari potest,  
præcipue cum in sui dicterii testimonium non  
erubescat allegare Spondanum, qui tamen  
hunc Pontificem *Zelo fidei actum* asserit, cul-  
pam vero, siquæ in eo intervenit, modeste  
excusat, dicens, quod *Pontifex parum ma-  
gnis tractandis rebus assuetus ex aliorum con-  
siliis ductus fuerit.*



Sæcul. XVI.  
A.C. 1591.

„Ecclesiæ obsequioso Rege constituto,  
„nec aliter fieri posse constat: verum  
„nihil ad hæc perficienda magis con-  
„ducere posse, sentio, quam si civitatem  
„Parisiensem Regni Sedem, & fidei Ca-  
„tholicæ propugnaculum ab ingruen-  
„tium hominum conatibus salvam tuear;  
„ideo ad minas, & insidias, quæ ei  
„adhuc parantur, propulsandas, & ad  
„militum copias ad ejus defensionem  
„necessarias commodius retinendas,  
„summam aureorum quindecim millium  
„quolibet mense, quamdiu expediens  
„erit, ex ærario meo subministrandam  
„dixi, ut tam ipsa Civitas, quam ce-  
„teri omnes intelligant, nihil me hoc  
„bello, quam solam Catholicæ fidei  
„defensionem, & regni tranquillitatem  
„prætendere: propterea cunctos ad  
„eam procurandam proniores redditu-  
„rus, ea de re propediem literas ad  
„generale Consilium sanctæ Unionis  
„necnon ad Proceres, ac nobiles utrius-  
„que partis mittere decrevi, qua ratione  
„fiet, ut illi, qui probi sunt, firmentur  
„magis, inflammentur vero ii, qui te-  
„pidi, ac confundantur denique, qui ob-  
„stinato, vel fascino potius animo  
„hæreticas partes hætenus secuti sunt,  
„cum viderint, quo studio, ac diligen-  
„tia prudentissimus ipse medicus quo-  
„dam divino Numine afflatus fomenta  
„lat-



„lanquenti subinde regni hujus cordi Sæcul. XVI.  
A.C. 1591.  
 „propria manu parata adhibuerit, nam  
 „ex eo mox proculdubio secuturum  
 „spero, ut salva, & incolumi civitate  
 „illa, quæ est totius Regni sedes, regnum  
 „uni deferatur, qui & Catholicæ Reli-  
 „gionis tuendæ, & publicæ quietis re-  
 „ducendæ, qua salus ejus constat, dux,  
 „& auctor esse possit, adjutus potenti  
 „subsidio, quod ego pro securitate,  
 „ac Parisinorum incolumitate erogare  
 „destinavi, ac pollicitus sum. „ Enim-  
 vero hic Pontifex promissis suis integra  
 fide stetit, utque fœderatorum progres-  
 sus promoveret, Paulum Sfondratum  
 Nepotem suum Cardinalitia dignitate  
 augebat, Herculem vero alterum suum  
 Nepotem Massæ Principis Filix despon-  
 sabat, eumque Mense Martio supremum  
 exercitus in Gallias destinati Bellidu-  
 cem pronuntiabat.

## §. LXXV.

*Papa per Maduanum, & Sueffam  
 Duces ad submittenda auxilia  
 compulsus.*

**H**ac agendi ratione Pontifex Maduani Davit. &  
Thu. l. c.  
 animum tantopere erigebat, ut hic  
 Petrum Balduinum Portam, qui eidem  
 Maduano ab epistolis erat, rursus Ro-  
 mam ablegaret, ut Lotharingium Car-  
 dinalem a fœderatis eo decretum co-  
 mitare-



Sæcul. XVI. mitaretur, necnon Pontificem urgeret,  
 " A. C. 1591. quatenus Montis Marciani Ducem quan-  
 tocius proficisci juberet, qui per Sab-  
 audix ditiones, & Burgundix Comi-  
 tatum in Lotharingiam contenderet, &  
 copiis, quas Turennius Vicecomes, &  
 Anhaltinus Princeps pro Rege in Ger-  
 mania conscripserant, transitum inter-  
 cluderet: præterea Suessæ Dux, qui  
 Regis Catholici Orator apud summum  
 Pontificem Olivario Comiti successerat,  
 vehementer Gregorium XIV. sollicita-  
 bat, ut Ecclesiasticorum bonorum par-  
 tem in Hispania ad necessarios belli sum-  
 ptus exigere suo Principi liceret: ve-  
 rum Ecclesiæ bona alienari omnino pro-  
 hibuit Pontifex, nonnisi copiarum au-  
 xilia submittens: insuper fœderati ad  
 Helvetios quosdam emittebant, qui sex  
 peditum millia conducerent, & de cen-  
 tum millibus aureorum, Helvetiis sol-  
 vendorum, pro quorum solutione Ro-  
 mæ faciendâ Cajetanus Cardinalis fi-  
 dem suam interponere rogabatur, cum  
 Pagis Catholicis transigerent: his igitur  
 suppetiis auctus Maduanus Dux se  
 insignem victoriam de regis copiis re-  
 portaturum sibi pollicebatur.

Porro cum Papa exercitum in Gal-  
 lias destinatum colligeret, interea Hen-  
 ricus IV. Carnutum contendit, ut an-  
 nonam, quæ copiosius ex Belsia ad Pa-  
 risinam



risinam urbem deferebatur, penitus intercluderet: de cetero Rex tam caute expeditionis suæ propositum incertum hosti relinquebat, ut Carnutum jam obsessum, captumque esset, quin Regis copias urbi esse admotas plene innotesceret: hujus autem successus opportunitate Rex universam Belsiam sibi subjecerat.

## §. LXXVI.

*Regis Clientes in tres factiones divisi.*

Verum dissensio inter ipsos regios clientes exorta nonnihil victoriarum successum morabatur, quippe eorum tres dominabantur factiones, quarum prima erat Calvinistarum, qui, ut Rex Catholicæ Religionis præceptis imbueretur, nullatenus permittebant, minitantes, se ab ejus partibus defecturos, si hac de re Rex vel minimam faceret mentionem: eapropter cunctas Henrici IV. actiones explorabant, eumque semper vigili oculo observabant. Altera factio erat illorum Catholicorum, qui aut vero, seu ficto fidei Zelo animati Regem a Calvinii erroribus abducere nitebantur, palam questi, si Rex hisce hæreticis dignitates, atque officia committere, vel cum eis familiariter agere pergeret. Tandem tertia factio ex Henrici III. Regis clientibus

Sæcul. XVI.  
A.C. 1591.

Thuan. 83  
Dav. l. c.



Sæcul. XV  
A.C. 1591

conflata fuit eorum, qui de Henrico IV. illius Successore parum contenti erant, eoquod nec illis, quicquid petebant, indulgeret, nec juxta eorum arbitrium, vel privati quæstus commodum se regi fineret: ab his vero Regi maxima inferebatur molestia, atque ex hisce partem duabus factionibus in unam coalescentibus alia exurgebat, quæ ob id *tertiana* dicebatur: insuper Carolus Borbonius Cardinalis, qui seniore Borbonio Cardinale Patruo suo adhuc vita superstitite vulgo Vindocinensis Cardinalis dicebatur, cum se ad Regni solium, excluso Henrico IV. Cognato suo, absdubio evehendum speraret, Catholicos incitabat, ut Regem ad ejurandam Calvinî hæresin urgerent: persuaserat enim sibi Borbonius, quod Henricus ab amplectenda fide Catholica oppido alienus nunquam huic conditioni assensurus esset, ac proin ipse hoc artificio Regem tanquam pertinacem hæreticum declarare, & Catholicos ab ejus obsequio avellere posset: porro ab ea factione longe gravissimum, quod eluctaretur, Henrico periculum imminebat, quamvis illam contemnere simularet, ac per ludibrium *Falconum factionem* appellitaret.

§. LXXVII.



## §. LXXVII.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1591.

*Libellus supplicis a tertia hac factione  
pro sollicitanda Regis conver-  
sione editus.*

Postmodum tertia hæc factio scriptum *Th. I. 101.*  
quoddam, incerto auctore, veluti *David. l. 12.*  
libellum supplicem divulgabat, in quo  
Rex rogabatur, ut ad pacificandum re-  
gnum, quod religionis causa turba-  
tur, sectariorum errorem mature eju-  
raret, & Majorum Religioni nomen da-  
ret: simul autem minitabantur, alioqui  
fore, ut plerique, qui ejus causa n. ut  
legitimi hæredis ea spe hucusque omni  
ope, & favore complexi sunt, ab illius  
partibus procul dubio discederent, &  
nova consilia caperent.

Ceterum hoc scriptum cum ingenti  
moderatione erat conceptum, ac Regi  
disertis verbis exponebatur, unicam  
hujus libelli mentem esse, ut Rex pro-  
priae suæ salutis, regnique, cujus legi-  
timus hæres esset, conservationi inten-  
tus esse velit: porro hoc scriptum An-  
degavi typis impressum e calamo pro-  
fluxerat Cardinalis Borbonii, qui mini-  
sterio utebatur cujusdam nomine Tu-  
chardi, qui olim Borbonii Mo-  
derator vir stolidè ambiciosus, au-  
licarumque artium peritissimus erat,  
hic vero rursus utebatur opera Davidis



**Sæcul. XVI.** Perronii adolescentis ingenii felicitate,  
A. C. 1591. & Philosophiæ, ac Theologiæ emi-  
 nentia clarissimi, cujus fama postea sub  
 nomine Cardinalis Perronii longe, late-  
 que diffundebatur, nunc autem ipsomet  
 Turchardo sollicitante in familiam Cardi-  
 nalis Borbonii adlectus erat: verum  
 Borbonius nondum primo hoc molimi-  
 ne contentus, insuper Romam Scipio-  
 nem Balbanium Lucensem ablegat,  
 ut Pontificem ad ipsius partes pertrahe-  
 ret, eique hæc exponeret: „Cum Hen-  
 „ricus in sua hæresi contumax per-  
 „sistit, ab eo deficere paratus sum, quam-  
 „vis hucusque semper ejus studiis ad-  
 „dictissimus fuerim, spe concepta, ipsum  
 „ad Religionem Catholicam rediturum,  
 „prout promiserat: quapropter Sancti-  
 „tatem vestram rogo, ut Regis electio-  
 „ni prospicere velit: porro si is, cui  
 „ego proximus Regni hæres succedo,  
 „ob suum in hæresi obfirmatum ani-  
 „mum sese indignum regio fastigio red-  
 „dat, & patientia suorum diutius, quam  
 „par est, abutatur, neque a vere Ca-  
 „tholicis amplius defendi possit, tunc de-  
 „missus oro, ut eo excluso ordinem le-  
 „gitimum in successione servari, meque  
 „ad Regni solium evehi patiatur: „ ve-  
 rum summus Pontifex ad hoc non nisi  
 ambiguis respondebat verbis: porro Rex  
 hucusque tertiam hanc factionem ne-  
 gligere



gligere videbatur, postquam vero mandata Balbanio data fortuito intercepta in Regis manus inciderant, tandem sua expectatione longe magis periculosam esse horum factionem intellexerat. unde ex Chivernio Cancellario, & Lanoyo, quid in hac rerum vicissitudine agendum, sciscitatus Lanoyi, qui in Calvini hæresi persistendum ei suadebat, consilium sequebatur: quapropter datis ad Borbonium Cardinalem, ceterosque sui Senatus Viros literis præceperat, ut una omnes ad castra venirent, eoquod eorum ope indigeret: interea autem omni ex parte rumor insonabat, quod Pontifex proxime suppeticas foederatis missurus Legatum præmisisset, repetitis sæverissimis mandatis, quæ jam antea Episcopo Placentino injunxit. Hac fama Rex vehementer perterritus, irrito licet successu, opem in Lucenburgico Duce quærebat, quem eo induxerat, ut is insuperhabito sinistro primæ epistolæ successu rursus datis ad Papam literis eundem rogaret, ut non Legatum in Franciam decerneret, ac suppeticas foederatis destinatas transmittere differret.

§. LXXVIII.

*Lucenburgici Ducis epistola Regis  
jussu ad Papam data.*

Erat

Sæcul. XVI,  
A.C. 1591.



Sæcul XVI.  
A.C. 1591.

Thu. l. 101.  
Mem. de  
la Lig. t. 4.  
pag. 374.

Erat hæc epistola ex castris prope Carnutum octavo Aprilis die data, in qua Lucemburgicus Dux repetitis, quæ superiore anno cum Sixto V. egisset, eidem in memoriam revocabat, quod quidem Sixtus V. ab initio bellum parasset, postea vero melius perspecta rei veritate sese Regi propitium monstrasset: ut igitur Papa Sixtum in posteriori suo proposito imitaretur, hortabatur Dux, hæc postea subjungens: „Deus, qui „justus Judex est, æquum proborum „Gallorum causam pedibus conculcari „non patitur, sed potius petit, ut il- „lam Sanctitas sua defendat: enimve- „ro Francia primo ad divinam Bonita- „tem, & postea me hortante ad sacram „Sedem confugerat, quæ tamen a Gal- „lis hucusque non fuit lacessita: ea „vero molestia, quæ eidem fuit illata, „ortum traxit a perversa voluntate quo- „rumdam Ministrorum, qui non tan- „quam æqui Judices, sed veluti homi- „nes partium studio obcæcati non pro „restauranda pace, sed ad excitandum „bellum suam operam navabant: cete- „rum Beatissime Pater, exhorresco ad „funesta malorum impendentium au- „guria; quid enim futurum, si Galli „bene erga patriam animati, potius, „quam ut exteræ dominationis jugum „subeant, ad extrema consilia descen- „dant,



„dant, & viribus propriis impares eo-  
 „rum, quos alioqui in religionis causa  
 „pro hostibus habituri essent, opes, &  
 „auxilia cogantur implorare? quantum  
 „ex eo detrimentum Religio erit ac-  
 „ceptura? quinam autem fidei tantis  
 „periculis expositæ vere rei coram Deo  
 „sint futuri, suæ Sanctitati pro pruden-  
 „tia sua, & æquitate dijudicandum re-  
 „linquo: cui enim tandem Religionis  
 „excidium imputabitur, nisi illis, qui  
 „sub ementito fidei obtentu, cæcoque  
 „ambitionis impetu hujus belli injusti-  
 „tiam fovere satagunt: insuper rumore  
 „publico jactatur, quod sua Sanctitas  
 „magna pecunia, & milite Parisienses  
 „Gallicæ rebellionis antesignanos ju-  
 „vare, & Præfulem, qui de rebus no-  
 „stris, & veris motuum causis cogno-  
 „scat, mittere constituerit: ast primum  
 „adduci non possum, ut credam, cum  
 „injustum esset, inauditos damnare,  
 „hacque ratione causæ nostræ præju-  
 „dicare: alterum vero summopere lau-  
 „do, si modo is, qui rerum nostrarum  
 „inspector mittendus est, non aliorum  
 „exemplo, qui jam missi sunt, se parti-  
 „bus immisceat, nec animo anticipata  
 „opinionem corrupto, aut avaritia, aut  
 „ambitione cæcus, & auri Hispanici  
 „spe inescatus veniat, sed rectum te-  
 „neat, neque in hanc, neque in illam  
 „par-

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1591.



Sæcul. XVI. „partem propendeat. Id pro pruden-  
 A C. 1591. „tia sua, & æquitate curaturum ipsum  
 „confido, neque persuaderi possum, ut  
 „is, prout seditiosi passim blatterant,  
 „a Philippi ministris, aut illi obnoxiiis  
 „in alterius partis præjudicium se cir-  
 „cumscribi, & præoccupari patiatur,  
 „præsertim subeunte memoria sermo-  
 „num, quos Sanctitas vestra mecum,  
 „cum Romam ad comitia post Sixti V.  
 „decessum proficiscenti in Hetruria ad  
 „Torniceriam occurrissem, superiore  
 „anno habuit, nam tunc ex ipsius ore  
 „hæc verba excepi, ad orbis Christiani  
 „pacem opus esse, ut Hispanus sua tibi  
 „habeat, & Gallus, quæ ad eum perti-  
 „nent, retineat, necnon alter ad al-  
 „terius refrænandam ambitionem limes  
 „sit: porro id sedulo illis, a quibus  
 „missus eram, retuli, & pro omni re-  
 „sponso ad ea, quæ adversus Sanctita-  
 „tem suam spargebantur, dedi, hoc-  
 „que pacto omnium ora obstruxi, qui  
 „contra eam sinistras opiniones ingerere  
 „moliebantur: interim semper intentus  
 „eram, eidem supplicare, ut tunc, quo-  
 „tiescunque de rebus nostris agetur, me-  
 „mor esse velit, quod omnes Regiæ  
 „stirpis Principes, Duces, & Pares,  
 „Franciæ Marecalli, Regni que Ministri,  
 „atque omnes Nobiles, civesque Galli  
 „in Religione Catholica perseverare cu-  
 „pian,



„pian, spe freti, quod sua obsequendi  
 „voluntate ipsum Regem brevi ad Ca-  
 „tholicam fidem agnoscendam, ac pu-  
 „blice profitendam, Sacraeque Sedis  
 „auctoritatem reverendam inclinaturi  
 „sint. „

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1591.

„Ast Sanctitas sua considerare digne-  
 „tur, quod nullum majus impedimen-  
 „tum tantæ molis negotio a fortuna  
 „objici possit, quam belli totum Re-  
 „gnum devastantis continuatio, nam  
 „eo durante neque Rex doceri, neque  
 „institui veræ fidei præceptis valet, si-  
 „mulque per funesta hæc arma probis  
 „Catholicis tranquillitas aufertur. Ce-  
 „terum hæc liberiori calamo ad Sancti-  
 „tatem vestram perscribere præsumpsi,  
 „Religionis meæ Zelo stimulatus, atque  
 „illa rerum præsentium cognitione in-  
 „structus, quam ex negotiis Romæ a  
 „me gestis hauseram: quinimo ut arti-  
 „ficiis, dolisque, quibus nostri hostes  
 „utuntur contra eos, quos decipere  
 „quærent, obviare valeam, hinc eo  
 „majori animi fiducia Sanctitati vestræ  
 „per Nobilem ad id specialiter deputa-  
 „tum epistolam Principum, & Proce-  
 „rum, qui in Regis exercitu militant,  
 „porrigo, donec ceteri Principes, at-  
 „que Optimates, qui sparsim in Regno  
 „morantur, & ipsi ex Ordine suo quem-  
 „piam ablegaverint, qui obtentam sum-  
 „mi



Sæcul XVI.

A.C. 1591.

~~REPRODUCTION~~

„mi Pontificatus dignitatem gratule-  
 „tur, suumque obsequium præstando  
 „magis articulatim totum rerum statum  
 „Sanctitati vestræ ob oculos ponat, pro-  
 „ut brevi futurum spero, præcipue si  
 „Sanctitas vestra benigno responso me  
 „honorare, præfatamque legationem  
 „sibi gratam iore, testari dignabitur:  
 „denique oro, & obsecro, ut Sanctitas  
 „vestra sibi firmiter persuasum habere  
 „velit, a me scripta omnino esse sin-  
 „cera, ac duntaxat dictata ab ardenti  
 „Zelo, quo pro Religionis bono, ac  
 „tranquillitate me accensum sentio,  
 „quem æque, ac submissionem Sancti-  
 „tati vestræ debitam nunquam immu-  
 „tabo.„ Hæc Lucemburgici Ducis epi-  
 „stola haud magis secundum, ac prior,  
 „fortiebatur successum, jam enim sin-  
 „stra adversus Regem concepta opinio in  
 „Romana Curia prævaluerat.

§. LXXIX.

*Papæ Nuntius in Franciam decretus  
 unacum comminatione adversus  
 Regios.*

Postquam copiæ, quas Papa in Fœde-  
 ratorum opem submittebat, jam-  
 jam una congregatæ discessum para-  
 rent, Gregorius unacum hoc exercitu  
 submittere voluit diploma, quo Præ-  
 sulibus Regi hæretico adhærentibus ana-  
 thema



thema intentabat: hoc ergo diploma deferendum committebat Marfilio Landiano Sedis Apostolicæ Nuntio unacum ingenti pecuniarum summa, quam ex Sixti V. thesauro ad arcem sancti Angeli reposito deprompserat, eo fine, ut hæ pecuniæ inter sexdecim Regionum Parisiensium Præfectos, ceterosque fœderis Duces in præcipuis Regni Urbibus distribuerentur.

Nuntius ergo prior proficiscitur diplomate, cujus mox meminimus, munitus: in eo autem Pontifex vehementer contra Gallos, & præcipue Clericos Regi adhærentes declamabat, istuumque utpote hæreticum, relapsum, atque anathemati obnoxium redarguebat, unde ii etiam, qui huic Principi favebant, hæretici, atque excommunicati declarabantur: dein Papa in fine Ecclesiasticos orat, atque obtestatur, imo etiam disertis verbis præcipit, ut intra præfixum tempus ab illis urbibus, quæ Henricum Borbonium tanquam Regem colunt, excedant, nullumque cum ejusdem fautoribus commercium habeant, indicta pœna, vi cujus priventur suis dignitatibus, ac beneficiis, ita, ut tanquam hæretici, ac Sectarii castigarentur: denique post plurimas hortationes, allatasque rationes Nobilibus etiam, populoque præcipit, ac mandat,

*Hist. Eccles. Tom. LV. K. ut*

Sæcul. XVI.  
A.C. 1591.



Sæcul. XVI  
A. C. 1591.

ut ab Henrico deficient, urbesque, quæ hæreticos recipiunt, deserant, ac sese veris Ecclesiæ filiis adjungant, qui in perfecta animorum conjunctione circa fidei Catholicæ articulos sese sacræ Sedi subjectos demonstrant, ac Christi Domini Vicarium reverentur. (\*)

§. LXXX.

*Hoc diploma Parisiis divulgatum.*

*Mem. de  
l'Etoil. t. 2.  
pag. 42.  
Maimb. hist.  
de la Lig.  
l. 4. p. 431.*

**H**oc diploma feria quinta trigesima Maji Parisios delatum est, cumque Capitulum Ecclesiæ Beatæ Virginis exemplar illius accepisset, mox Seguerium Decanum hujus nominis Cancellarii Patrum ad Curiaæ Senatores ablegabat, qui etiam omnes Curias ad alterum diem congregari præcepit, ut Pontificii hujus diplomatis promulgatio decerneretur: ergo præstituta die tertia Junii in Ecclesia Cathedrali hæc literæ recitantur, quæ postea etiam eadem die in quatuor præcipuis Ecclesiæ Cathedrali

(\*) Si Continuator vel unicum hujus Pontificii diplomatis testem allegasset, certe Lectoribus suis suspicandi ansam præripuisset, hæc ab ipsomet Continuatore ultro vel conficta fuisse, vel ea, quæ in suo Thuano, aliisque ejusdem furfuris maledicis carptim annotata reperit, pro sæcunda sua fingendi libertate fuisse plus æquo exaggerata.



Cathedralis valvis affigebantur, usque dum solemnitas in Curia promulgatio fieret, illudque typis ederetur: porro cuncta hæc quantocius petente Procureatore Generali executioni fuere deman- data: attamen hoc diploma suo successu vix non destitutum remansit, quippe non deerant, qui variis editis libellis illud nullum esse, demonstrare niteban- tur, adeo, ut a Regis studio vix ullus propterea dimoveretur. „Omnes nostri „Majores, inquit quidam Historicus, „tibi persuasum habebant, quod Pon- „tificum, qui Ecclesiæ Caput sunt, po- „testas non ad temporalia bona, minus „in jura Regnorum ullo pacto sese exten- „dat, nihilque hi præcipere valeant, „quod cedere posset in præjudicium „obediendi, & fidei, quam subditi in „omnibus iis, quæ Deo manifeste non „adversantur, præstare tenentur.„

Sæcul. XVI.  
A.C. 1591.

§. LXXXI.

*Catalaunensis Curie edictum adversus  
Nuntium, & Pontificis  
diploma.*

Præterea Catalaunensis Curia, quæ cum Senatu Turonium translato conspirabat, nequidem expectato Re- gis mandato adversus hoc Pontificis diploma tumultuari cæperat; quam- primum enim hujus comminationis

*Thu. l. 101.  
Avil. l. 12.  
Mem. de la  
Lig. t. 4.  
pag. 395.*

K 2

exem-



Sæcul. XVI.  
A. C. 1591

exemplar Rhemis impressum in ejus manus inciderat, mox die decima Junii edictum promulgavit, quo Cognitor regius ab impetratione, & executione mandatorum Pontificiorum, excommunicationum, & fulminationum contra felicis memoriæ Regem Henricum III. & Regem, qui nunc felicissime regnat, Romæ decretarum provocabat, ac insuper a mandatis Cardinalis Cajetani, & postremo a Bullis, prout vocant, monitorialibus Romæ Calendis Martii obliquis, necnon a publicatione earum per Marsilium Landrianum in Galliis facta appellabat, eundem Landrianum, qui se Papæ Nuntium dicebat, accusans, quod sine Regis permisso hoc regnum ingressus, ac postea citatus semetipsum minime stiterit, quapropter hæc Curia eum comprehendit, simul declarans, superiora omnia diplomata esse nulla, ac irrita, & abusus, offensionisque publicæ, atque imposturarum plena, necnon ad seditiones spectantia, & contra sancta decreta, canonicas constitutiones, Concilia probata, jura, & libertates Ecclesiæ Gallicanæ facta: præterea eadem decrevit, ut illi, qui eorum vi censuris alligati fuerunt, ab iis solvantur, ipsa vero diplomata, & acta, quibus eorum

exe



Sæcul. XVI.  
 A C 1591.

executio urgebatur, in platea Urbis a  
 carnifice comburantur, ac Landrianus  
 se pro Pontificio Oratore gerens, & clam  
 sine Regis permissu regnum ingressus  
 comprehendatur, atque ad interrogata  
 responsurus in iudicio listatur: si autem  
 capi non possit, per tres dies ad tubæ  
 sonitum in publico citetur, præmio  
 decem millium librarum ei, qui ipsum  
 tradiderit, proposito, capitis vero pœ-  
 nã in eos, qui ipsum receptaverint, aut  
 illi hospitium præbuerint, constituta:  
 pro Archiepiscopis, Episcopis, aliisque  
 e sacro Ordine, alioqui Majestatis læsæ  
 crimen incurfuris, severe hoc tribunal  
 interdicebat, ne diplomata illa, aliave  
 a Landriano profecta mandata promul-  
 gent, aut publici juris fieri patiantur:  
 ceterum Cardinales, Archiepiscopos,  
 Episcopos, aliosque e sacro Ordine, qui  
 Romæ sunt, aut auctores fuerunt,  
 ac subsignaverunt huic mandato, seu  
 inhumanum, abominandum, ac dete-  
 standum Regis Christianissimi, ac sum-  
 me Catholici parricidium per proditio-  
 nem patratum laudarunt, ac probave-  
 runt, possessorio omni jure, quod illis  
 in hujus Regni Sacerdotiis compete-  
 bat, excidisse declaravit, eaque ut per  
 Cognitores regium sequestrentur, in-  
 junxit, prohibuitque deinceps, nequis  
 aurum, argentumve pro Sacerdotiorum



Sæcul. XVI. diplomatibus e Gallia Romam mittat,  
A. C. 1591. aut per mensarios numerari curet, do-  
 nec Rex aliter statuerit. Eodem Se-  
 natus-consulto Cognitori regio instru-  
 mentum appellationis, quam is a Gre-  
 gorii XIV. creatione ad futurum Conci-  
 lium legitime congregatum interposuit,  
 a Senatu traditum fuit.

## §. LXXXII.

*Regis declaratio circa hanc causam.*

*Thuan. Es  
 Davil. l. c.  
 Mem. de  
 la Lig.  
 pag. 387.*

Rex comperto hoc edicto, illud in suo  
 Senatu, ad quem specialiter Præ-  
 fules, ac præcipuos sui exercitus Mi-  
 nistros convocabat, confirmari voluit,  
 atque hanc in rem die quarta Julii Ma-  
 duntæ edidit declarationem, in qua de  
 Pontifice questus moderationem Sixti  
 V. deprædicabat, ita inquit: „hic  
 „Pontifex bellorum civilium, quæ Fran-  
 „ciam devastant, causa satis penetrata  
 „censuit, hoc bellum nequaquam a vero  
 „erga Regni utilitatem affectu, nec a  
 „Religionis Zelo, sed immoderata am-  
 „bitione, & haud satianda Regnum  
 „dividendi cupiditate profectum esse:  
 „eapropter suppeticas, quas Fœderati  
 „ab eo efflagitabant, submittere distu-  
 „lit, imo etiam mihi metipsi, ut Catho-  
 „licæ fidei præceptis imbui, ac sacræ  
 „huic Religioni aggregari possem, spa-  
 „tium reliquit, ac cum summa etiam  
 „benigni-



„benignitate excepit illos, qui sincero **Sæcul. XVI.**  
 „sine, ac divini obsequii, æquitatis, & **A.C. 1591.**  
 „patrii amoris studio adacti mihi Regi  
 „suo adhærebant, prout Lucemburgi-  
 „cus Dux proprio suo experimento te-  
 „statum reddere valet: interim ego pa-  
 „ratus sum omnia, quæ Nobilitati Ca-  
 „tholicæ in mea inauguratione sence-  
 „re promisi, integra fide servare, nunc  
 „tamen me excusatum puto, quod fer-  
 „ventibus adhuc belli tumultibus modo  
 „meæ dignitati congruo promissis stare  
 „haud potuerim. Ceterum Clerum,  
 „Nobiles, ac plebejos hortor, ut Ec-  
 „clesiæ Gallicanæ privilegia, ac præ-  
 „rogativas totis viribus tueri satagant,  
 „nulloque pacto Regnum a suis Majo-  
 „ribus ad se devolutum dividi patian-  
 „tur, minus vero permittant, ut po-  
 „puli suis Præsulibus, Pastoribusque  
 „orbati in schisma, errorem, & dam-  
 „nationem incidendi periculo exponan-  
 „tur. His prolatis rursus palam pro-  
 „fitebatur, quod suis promissis fide nullo  
 „pacto violanda stare velit, ac denuo  
 „monebat Curias, ut Regni necessitati-  
 „bus prospicere velint: præterea Præ-  
 „sules obtestabatur, ut omni sollicitudi-  
 „ne suis Diæcesibus invigilare non ces-  
 „sent, nec aliquid immunitatibus, atque  
 „Ecclesiæ Gallicanæ libertatibus adver-  
 „sum permittere velint. Hæc Regis de-  
 „clara-



**Sæcul XVI.** claratio die vigesima quarta ejusdem  
**A.C. 1591.** Mensis Catalauni promulgata est: die  
 autem sexto sequentis Mensis Au-  
 gusti Curia Turonii stabilita pariter e-  
 dictum divulgabat, quo eadem privi-  
 legiorum labefactatio inhibita est.

## §. LXXXIII.

*Regis edictum pro stabilienda con-  
scientiæ libertate.*

*Mem. de la  
 Lig. l. c.  
 Mezer.  
 chron. tom. 3.  
 pag 378.  
 Spond. n. 7.*

**C**um Rex adhuc Maduntæ hæreret,  
 ibidem Mense Julio edictum pro-  
 mulgabat, in quo fusius exponebat,  
 quod duo illa edicta, quæ Anno Christi  
 millesimo quingentesimo octogesimo  
 quinto, & octavo promulgata fuerunt,  
 ab Henrico III. violenter extorta, inde  
 autem in universo Regno plurima mala  
 exorta fuerint: his præmissis Rex ita  
 prosequatur. „Nos juxta prudens  
 „consilium Regii sanguinis, aliorum-  
 „que Principum, Regni que Ministro-  
 „rum, Senatus nostri Consiliariorum,  
 „ac præcipuorum hujus Regni Virorum  
 „sententiam per præsens hoc edictum  
 „nullo tempore revocandum ex plena  
 „potestate, atque auctoritate irritavi-  
 „mus, revocavimus, nulla que decla-  
 „ravimus, & per præsentis literas ir-  
 „ritamus, revocamus, nulla que decla-  
 „ramus duo illa edicta Mense Julio An-  
 „no Salutis nostræ millesimo quingen-  
 „tesimo



„tesimo octogesimo quinto, & octavo Sæcul. XVI;  
 „promulgata, per quæ revocata fuere A.C. 1591.  
 „edicta antea a nostris Prædecessoribus  
 „Regibus de componendis Regni tu-  
 „multibus sancita: proin etiam omnia  
 „judicia, sententias, & edicta, quæ  
 „juxta utrumque præfatum edictum  
 „fuere edita, nulla declaramus, quin  
 „deinceps ullo pacto ea executioni man-  
 „dentur, aut mandari valeant: volu-  
 „mus etiam, ac præcipimus, ut inpo-  
 „sterum posteriora pacificationis edicta  
 „in usum deducantur, serventur, ac  
 „in omnibus nostris regionibus, terris,  
 „locisque nostro imperio obnoxiiis ob-  
 „serventur, prout tunc, cum Rex nu-  
 „per defunctus adhuc viveret, ac prius-  
 „quam ea revocasset, in usu fuerant:  
 „eadem vero edicta hunc in finem nos,  
 „quantum necesse est, confirmavimus,  
 „& auctoritate nostra munivimus, ac  
 „etiamnum amplissima nostra potestate  
 „confirmamus, atque approbamus, cun-  
 „cta tamen hæc intra illud temporis  
 „spatium statuta censeantur, donec Deo  
 „placuerit, quod ipso adjuvante per fir-  
 „mam pacem in Regno nostro restaura-  
 „tam nostros subditos ad unionem re-  
 „vocare, ac in Religionis negotio ea  
 „exequi possim, quæ ad hoc regnum vo-  
 „catus promisi: spero autem, quod ho-  
 „rum edictorum custodia pro nostris sub-  
 „ditis



Sæcul. XVI. „ditis eundem procuratura sit fructum,  
A.C. 1591. „quietem, & tranquillitatem, quam  
 „regnantibus præfatis nostris Præde-  
 „cessoribus eadem in Regno nostro pro-  
 „curavit, si post Dei honorem nobis  
 „præstabant obedientiam, quam tan-  
 „quam boni, fidelesque subditi legiti-  
 „mo, ac proprio suo Regi debent. „ Hæc  
 postrema verba Rex ideo apponi vo-  
 luit, ne hoc edictum schisma confir-  
 mare, omnemque illius tandem ex-  
 tirpandi spem præcidere videretur.

## §. LXXXIV.

*Maduntini, & postea Carnutensis  
 Cleri congressus adversus  
 Papæ diploma.*

*Thu. l. 101.* Rex cum pariter Episcopos hortatus  
*Spond. n. 8.* esset, ut ipsius partibus adhærerent,  
 ac tempestive, ne quid ipsis, & sacro Or-  
 dini, ex Pontificis diplomate detrimenti  
 accideret, mature deliberarent, hinc  
 Præsules Maduntæ agentes conventum  
 indicebant, ut hoc diploma discuterent,  
 ac circa beneficiorum collationem ne-  
 cessaria disponderent: quoniam vero  
 Papa indictis severis etiam poenis præ-  
 ceperat, ut Præsules relicto Regis  
 obsequio ab illis quoque urbibus,  
 quæ eidem parent, excederent,  
 ideo hi Præsules mentem suam his  
 verbis declarabant: „tempore adeo pe-  
 „ricu-



„riculoso gregem nostrum deserere haud Sæcul. XVI.  
 „licitum, minusque decens esset, si pa- A.C. 1591.  
 „tria, domibus, & bonis, quæ in nostri  
 „obsequii præmium a Regibus recepi-  
 „mus, relictis tanquam vagi inde rece-  
 „deremus, exiguamque pensionem a  
 „Papæ Nepotibus per Dei misericordiam  
 „emendicaremus: (\*) præterea Regi, qui  
 „continuatae victoriae gloria celebris  
 „evadit, cum Romana Curia in gratiam  
 „redeundi media non desunt: nos vero  
 „ab eodem deficere nequimus, quin  
 „ad extremam paupertatem redacti om-  
 „ni ope destituamur: imo nequidem  
 „salva Religione deserere possumus  
 „ejusmodi Principem, qui nostram e-  
 „tiam operam, ac institutionem implo-  
 „rabit, ut in Catholicæ fidei præceptis  
 „erudiri, atque ad sinum Ecclesiæ re-  
 „verti valeat. Postea hi Ecclesiastici  
 ad Pontificii diplomatis examen proce-  
 debant, cum vero huic labori insuda-  
 rent,

(\*) Hæc in contemptum Sedis Apostolicæ  
 a Clero Gallicano, qui omni tempore amplissi-  
 ma beneficia ab eadem recepit, fuisse prolata  
 valde dubium est. præcipue cum Continua-  
 tor hanc in rem alleget Thuanum, & Spon-  
 danum, qui tamen de ejusmodi ludibrio nul-  
 lum omnino mentionem faciunt, sed ex ad-  
 verso hujus Cleri decretum longe aliud, &  
 valde moderatum referunt.



Sæcul. XVI  
A C. 1591.

rent, Maduanus Dux Maduntam inopina vi subigere moliebatur, eapropter hoc Conventu Carnutum translato ibidem hoc examen continuabatur: re autem completa Præsules die vigesima prima Septembris edito decreto declarabant, quod præfatum Gregorii XIV. diploma ad effectum deducere non possent, eoquod tam circa rei summam, quam modum omnino nullum, injustum, ac sollicitantibus Franciæ hostibus datum esset, proin illo nec Episcopi, nec alii Franciæ Catholici Regi addicti obstringi possent: (\*) insuper in eodem decreto veros Catholicos, ac præcipue Clericos hortabantur, ut iunctis viribus apud Deum suas preces interponerent pro sui Principis conversione, quam ipse in sua inauguratione sponderat: denique hoc scriptum dirigebant ad omnes urbes, Regni que Ordines, ac generatim ad omnes Catholicos, dato etiam omnibus Parochis, & Vicariis negotio, ut hoc decretum e suggestu promulgarent, illudque Ecclesiarum valvis affigerent. Huic decreto sua nomina apponebant Borbonius, & Lenoncurtius Cardinales,  
Raynal-

(\*) Addebant hi Præsules: id tamen salvo cultu, & honore, qui Pontifici Romano debetur.



Raynaldus Beluna Bituricensis Archi-<sup>Sæcul. XVI.</sup>  
episcopus, Philippus Beceus Nanneten-<sup>A.C. 1591.</sup>  
sis, Nicolaus Thuanus Carnotensis, Ni-  
colaus Fumeus Bellovacensis Episco-  
pus Comes, & Par Franciæ, Henricus  
de Escublo Mallacensis Episcopus, cu-  
jus Sedes postea Rupellas translata est,  
Claudius Clacessius Catalaunensis An-  
tistes Comes, & Par Franciæ, Rena-  
tus de Daillon nominatus ad Bajocen-  
sem Episcopatum, Joannes Tuchard  
Bellofanensis Abbas, Jacobus David  
Perronius postea Cardinalis, & Clau-  
dius Gouin Bellovacensis Decanus. li-  
dem Præsules Legationem quoque Ro-  
mam decernere statuebant, nec tamen  
hoc negotium cuidam Episcopo deman-  
dare volebant, seligentes Lucemburgi-  
cum Ducem, qui quoque hanc provin-  
ciam deprecabatur, eo quod Regius Se-  
natus sese opponeret, caussatus, quod  
nuper decreto, cujus supra memini-  
mus, edito inhibuisset, ne quisquam  
Romam mitteretur, simulque Papam  
velut Franciæ hostem declarasset.

## §. LXXXV.

*Senatus Parisiensis edictum contra  
Catalaunense decretum.*

Attamen Fœderatorum Senatus Pa-<sup>Mem. de la</sup>  
risiis stabilitus edicto ab illa Curia,<sup>Lig tom. 4.</sup>  
quæ partim Catalauni, partim Turo-<sup>pag. 377.</sup>  
nii



Sæcul. XVI  
A.C. 1591.

nii erat, edito decreta prorsus contra-  
ria opponebat, ac non modo Pontificis  
diploma, ac mandatum Landriano Nun-  
tio datum debita veneratione recipie-  
bat, sed etiam utrumque acceptari,  
promulgari, atque in usum deduci se-  
uerissimis etiam pœnis in transgresso-  
res constitutis deserto mandato præci-  
piebat, & quidem in suo decreto, quo  
Catalunense edictum damnabat, hæc  
exposuit: „nihil aliud nobis propositum  
„est, quam Religionem antiquam Catho-  
„licam, Apostolicam, & disciplinam in  
„domo Dei constitutam tueri, sectarium  
„vero virus, quantum in nobis est, ex-  
„tirpare, & regiam imperiam sub Rege  
„Catholico, & natione Gallo integrum  
„servare, hinc Catalunense Senatus  
„consultum tanquam nullum, execran-  
„dum, atque abominandum declara-  
„mus, eo quod ab hominibus nullam  
„potestatem habentibus factum, atque  
„a viris vere schismaticis, hæreticis,  
„jurisjurandi violatoribus, in Deum  
„perfidis, & desertoribus, ac ejus causæ  
„proditoribus, & status, necnon hujus  
„regni quietem perturbantibus fabrica-  
„tum esset: quapropter decrevimus, ac  
„decernimus, ut adulterinum hoc edi-  
„ctum Cataluni promulgatum, utpote  
„scandalo, schismate, hæresi, ac se-  
„ditione scatens in judicio dilaceretur,  
„& in



Sæcul. XVI.  
A.C 1591.

„& in publico foro fragmenta carnificis  
 „manu super marmoreum lapidem, qui  
 „infra majores Palatii gradus est, com-  
 „buratur: præterea Prælatiſ, Proceri-  
 „bus, Urbibus, & Communitatibus,  
 „ſinguliſque hominibus inhiſemus, ne  
 „ſpurium hoc edictum recipiant, vel  
 „ei morem gerant, aut illud exequan-  
 „tur, ſeu retineant: inſuper omnibus  
 „Apparitoribus, Satellitibus, ceteriſ-  
 „que juſtitie Miniſtris, & Tribunis ſta-  
 „tuta corporali pœna prohibemus, ne  
 „ullo pacto præſatum hoc edictum in-  
 „dicent, vel citationiſ denuntiationem  
 „Philippo Segæ Sedis Apoſtolicæ in  
 „Francia Legato, vel ejus loco cuiſcun-  
 „que alteri faciant. „

„Ad hæc omnibus, & ſinguliſ, cu-  
 „juſcunſque Status, & Conditioniſ ſint,  
 „ſub iſdem pœniſ injungimus, ut cuncti  
 „colant, venerentur, & revereantur Gre-  
 „gorium XIV. Papam, qui nunc ſanctam  
 „Sedem Apoſtolicam tenet, tanquam  
 „Dei Vicarium, Beati Petri Suſceſſo-  
 „rem, & univerſale Eccleſiæ caput, ac  
 „mandatiſ ab ejus pietate, dilectione,  
 „providentia, & paterna ſollicitudine  
 „proſectiſ debitum obſequium deferant:  
 „præterea mandamus, ut cuncti Epi-  
 „ſcopum Placentinum Sedis Apoſtolicæ  
 „Legatum in ſua Legatione, officio, &  
 „facultate ipſi conceſſa, atque in præ-  
 „ſata



Sæcul. XVI.  
A. C. 1591.

„fata Curia legitime confirmata reve-  
 „reantur: insuper omnes Præiules, Pro-  
 „ceres & hujus Regni Nobiles Catho-  
 „licos dehortamur, ne hæreticorum,  
 „eisque faventium dolis se decipi per-  
 „mittant, dum hi spargere non dubi-  
 „tant, quod omnium ordinum comitia  
 „ad hanc Urbem indicta unice eo ten-  
 „dant, ut dignitas Regia, & Franciæ  
 „Regnum ad exteros devolvatur, sed  
 „potius firmiter sibi persuasum habeant,  
 „quod præfata comitia eo duntaxat ex-  
 „sine fuissent decreta, ut Religio Catho-  
 „lica, Apostolica, & Romana facta con-  
 „servetur, necnon Rex Christianissimus,  
 „Catholicus, & natione Gallus, qualem  
 „juxta Regni legem eligere Regni Or-  
 „dines intendunt, declaretur, ac sta-  
 „bilitur: quapropter Regni Ordinibus  
 „præcepimus, ut comitiis hunc in fi-  
 „nem decretis, atque indictis interesse  
 „velint. Pariter omnibus Gubernato-  
 „ribus, Præfectis, & hujus jurisdictioni-  
 „nis Rectoribus, eorumque Vicariis in-  
 „jungimus, ut cunctorum ad hæc co-  
 „mitia pergentium, quatenus hi cum ple-  
 „na libertate tuto accedere valeant, se-  
 „curitati prospicere, omnemque eis  
 „opem, auxiliumque præstare velint,  
 „porro eos ab hoc itinere præpedire inhi-  
 „bemus, constitutis pœnis, quibus ta-  
 „les tanquam pacis, & unionis Eccle-  
 „siasticæ



„fiasticæ, Regni, & quietis publicæ Sæcul. XVI,  
 „perturbatores castigentur.,, Ceterum A.C. 1591.  
 hoc edictum nonnisi vigesima secunda  
 Decembris, jamjam regnante Clemente  
 VIII. Pontifice, promulgatum est.

§. LXXXVI.

*Priorum edictorum Apologia.*

Priusquam hoc edictum publici juris Th. I. 101.  
 fieret, fœderati, cum se accusari  
 ægre ferrent, perinde ac si ad tuendam  
 suam causam nonnisi armorum poten-  
 tiam adhiberent, etiam ad ipsa ratio-  
 num momenta recurrerent, hancque  
 in rem Recinatensi cuidam Juriscon-  
 sulto nomine Zampino negotium da-  
 bant, ut omnes falsitates, quas Cata-  
 launensis, & Turonensis Senatus in  
 Henrici IV. favorem protulerant, oppo-  
 sito responso refelleret, simulque Epi-  
 scoporum edictum Carnuti promulgatum  
 confutaret: ergo Zampinus librum edit,  
 cui titulus: *responsum ad imposturas a  
 pseudo-parlamentis Catalaunensi, & Tu-  
 ronensi, ac Carnotensi Conventiculo in Gre-  
 gorium XIV., illiusque monitionis literas  
 impie confictas.*

Verum hic Auctor haud feliciori  
 successu, quam in Apologia pro Ca-  
 rolo Cardinale Borbonio patruo adver-  
 sus fratris Antonii filium scripta fecerat,  
 iniquam causam ineptissimis argumen-  
 tis

*Hist. Eccles. Tom. LI.*

L

tis



Sæcul. XVI. tis tueri conatus est.

A.C. 1591.

Infuper post edita Turonensis, & Catalaunensis Curia edicta alius quidam Scriptor, quem quidam Regni Proceres sollicitarunt, utramque hanc Curiam defendere aggrediebatur, edito hanc in rem libello, qui ceteris omnibus illo ævo elucubratis opusculis jure præfertur, eoquod raris antiquitatum monumentis, atque ampla eruditione abundet, quamvis haud dissimulandum sit, quod Auctor ex suis principiis, quæ stabilire nititur, minus æquas conclusiones deduxerit. Ceterum hunc libellum Henrico de Turre Bullionio Duci nuncupavit, eique titulum sequentem præfixit: *Vindicia, ac Principum, necnon Ecclesiarum Christianarum defensio adversus attentata, usurpationes, & Romanorum Pontificum excommunicationes.*

*Mem. de la Lig. t. 4. p. 400.*

§. LXXXVII.

*Franciæ Regnum a fœderatis Hispaniæ Regi oblatum.*

*Thu. l. 101. Davil. l. 12. Mem. l. c. pag. 655.* Cum interea ejusmodi scripta ultrocitraque spargerentur, bellum tam a fœderatis, quam ipso Rege semper continuato ardore urgebatur, ac præprimis Henricus occupata Carnutensi urbe Noviodunum obsedit, brevique cives ad deditionem adegit: verum paulo post



post Rex de Guisii Ducis, qui in arce Sæcul. XVI.  
 Turonensi captus erat, fuga certior fa- A.C. 1591.  
 ctus hoc nuntio haud parum turbaba-  
 tur, probe gnarus, quod foederati hu-  
 jus Ducis libertatem in rem suam ver-  
 suri essent, prout etiam eventus docuit,  
 quippe juvenis hic Dux recuperata li-  
 bertate quantocius cum sexdecim Re-  
 gionum Præfectis arcto foedere junctus  
 eisdem pollicebatur, se eorum parti-  
 bus toto studio adhæsurum: inde vero  
 hi ad tantam excitabantur audaciam,  
 ut illum relicto Maduano Duce in suum  
 Principem, ac Belliducem eligere de-  
 cernerent: quinimo eorum nonnulli  
 ad Hispaniæ Regem perscribebant, at-  
 que epistolam Patri Matthæo, qui alius  
 erat a quodam nuper defuncto ejusdem  
 nominis Jesuita, deferendam commit-  
 tebant, ubi Regi supplicabant, ut suo  
 illos præsidio foveret, eisque Regem  
 proponeret, si ipse regnum acceptare  
 nollet, vel saltem Principi Filixæ suæ  
 talem destinaret Generum, quem ipsi  
 tanquam fideles, ac devoti subditi agno-  
 scere possent: insuper novam concipie-  
 bant juramenti normam, qua omnes  
 Regiæ stirpis Principes excludebant,  
 ut cunctos, quorum fidem sibi suspectam  
 habebant, ex ipsa huic juramento sub-  
 scribendi repulsa, ac difficultate digno-  
 scere, illosque ad deferendam Parisi-

Mexer.  
 p. 383. q. 9  
 Daniel  
 de France  
 p. 101  
 The. 102



Sæcul. XVI. nam urbem, necnon relinquenda bona  
 A C. 1591. sua adigere possent. Hoc artificio ubi  
 plurimos urbe expellebant, atque inter  
 eos præcipue Gondium Cardinalem  
 Parisiensem Episcopum, eoquod is una-  
 cum sancti Merrii, & sancti Eustachii  
 Parochis populum ad submissionem Hen-  
 rico IV. Regi præstandam sensim incli-  
 nare adlaboraret.

§. LXXXVIII.

*Brissonus Præses unacum duobus Se-  
 natoribus fæderatorum jussu  
 captus.*

*Mezer.*

*pag. 383.*

*Daniel hist.*

*de France*

*t. 7 p. 101.*

*Thy. 1, 102.*

Postea memorati Præfecti, qui Sex-  
 decimani vocabantur, ipsum Sena-  
 tum aggrediebantur, eoquod hic sese  
 illorum molitionibus opponeret, ac  
 Regi plurimum favere inciperet, occa-  
 sione inde captata; quippe Senatus  
 quendam Brigardum regii Prætorii  
 Procuratorem, qui cum regia factione  
 clam conspirasse accusatus, ac carceri  
 inclusus hærebat, ab impacto crimine  
 absolvit, liberumque dimisit: hoc igitur  
 Senatus judicio Sexdecimani vehe-  
 menter irritati die decima quinta No-  
 vembris Barnabam Brissonium, qui  
 primi Præsidis vices obibat, capiunt,  
 eumque in minori castello includunt,  
 pariterque Arcerium Curia Senatorent,  
 necnon Tardisium in inferioribus sub-  
 sellis



feliis Consiliarium comprehendi, at- Sæcul. XVI.  
 que in eadem arce carceri mancipari A. C. 1591.  
 jubent, nec prima hac violentia con-  
 tenti erant, sed ex hisce furiosis unus  
 nomine Cromæus utrumque Senatorem  
 lata sententia morti adjudicat, simul-  
 que Briffonio Præsidi ægre tantum  
 temporis spatium indulget, ut conscien-  
 tiam suam coram Sacerdote expiare  
 valeret: mox autem in Senatus Curia  
 ad scalam tigno affixam suspenditur,  
 postea etiam ambo Consilarii idem fa-  
 tum subeunt, ac trium horum Sena-  
 torum corpora altera die trinis suspen-  
 sa patibulis in Urbis foro exponuntur,  
 appensis tabulis, in quibus tanquam  
 patriæ proditores, ac hæreticorum fau-  
 tores describebantur: nihilominus ex  
 suis amicis nonnulli noctu eorum cor-  
 pora sustulerunt, ac sepulturæ man-  
 darunt.

Hoc facto hi crudeles viri nimis te-  
 mere sibi persuadebant, quod depræ-  
 dicato illorum Zelo populus tantum fa-  
 cinus elogiis celebraturus, seque suis  
 hostibus a Briffonio, ejusque Sociis  
 tradendum arbitraturus esset: ast po-  
 tissimi tantam crudelitatem hucusque  
 nunquam auditam detestabantur: in-  
 terim vero Sexdecimani deliberabant,  
 an Maduanus Dux pariter e medio  
 tollendus esset, eo quod is accepto hu-  
 jus



Sæcul. XVI.  
A. C. 1591.

jus immanitatis nuntio mox Laudano profectus magnis itineribus cum copiis ductore Vitrio accurreret, ut hujus sceleris Auctores plecteret: cum autem Dux sua itineris celeritate Sexdecimanorum consilia præverteret, ac jamjam sancti Antonii portam obsideret, his nequidem reliquum erat deliberandi spatium, quid factu opus esset, ut Ducem ab urbis ingressu arcerent; hic enim jamjam cum mille octingentis Parisios venerat.

§. LXXXIX.

*Ex Sexdecimanis quatuor Maduani Ducis Lutetiam venientis jussu laqueo suspensi.*

*Thu. 1. 102.* Ipsemet Vitrius, qui Ducem comitabatur, se reos in carcerem ducturum pollicebatur, quamvis vero Didacus Ibarra Hispaniæ Legatus eum hortaretur, ut dissimulatione uteretur, ne animi potius ad seditionem irritarentur, quam in debitæ submissionis obsequio retineri possent: verum hic Orator operam ludebat, quippe Dux vindicis justitiæ exemplum in hosce improbos constituere paratus præprimis cum Bussio egit, qui etiam Duci Bastilliam arcem tradidit, ea lege, ut ob crimen suum in Brissonii cæde patratum nequaquam in jus vocaretur: igitur

*Mez. abregé  
tom. 3. pag.  
385.*



igitur fide interposita Dux arci Burgum sibi fidum hominem unacum præsidio imponit, ac aliquot post diebus in novem ex Sexdecimanis mortis sententiam pronuntiat, die autem quarta Decembris hosce reos comprehendi jubet, ex quibus tamen nonnisi quatuor capi poterant: hi autem erant Lusarius, Auruxius Menfarius, Emonotus Procurator, & Amelinus, qui Luparam conducti ibidem compressis laqueo faucibus a carnifice necabantur, reliqui vero quinque fuga elapsi sunt unacum Bussio Clerico, qui vitæ periculum sibi imminere veritus Bruxellas auffugit.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1591.

## §. XC.

*Maduani Ducis consilia pro firmanda auctoritate sua.*

Hac æqua severitate Maduanus Dux suam auctoritatem tantum firmabat, quantum Sexdecimanorum crudelitas fœderatorum Duces populo exosos reddebat: equidem Joannes Bucherus Parochus ad sancti Benedicti Ecclesiam ex fœderatis vehementior cum ingenti petulantia de Maduano Duce querebatur, quod suos socios, quos Martyres ob Dei causam trucidatos vocabat, atroci supplicio afficere ausus esset: verum Dux ei in responsis dabat, obediendum esse illis, qui in Re-

Thu. l. 102.



Sæcul. XVI  
A.C. 1591.

ligionis defensione militant, ac paucorum pœnam ad ceterorum terrorem esse necessariam: postea edictum promulgari iussit, quo Sexdecimanorum crimen detestatus, ceteris, qui nondum supplicio affecti erant, sceleris veniam indulgebat, exceptis Cromæo, & Cochero, ac alio quopiam: insuper indicta mortis pœna particularem, aut privatum conventum habere prohibuit. Hoc edictum die decima Decembris in Senatus tabulas referebatur, postquam Dux quatuor novos Præsides sibi admodum addictos creaverat: præterea datis ad omnes Provinciarum Rectores literis suam agendi rationem vindicabat, ac sexdecim horum Præfeكتورum factionem populo exosam reddere satagebat: ut vero eosdem eo arctius suis studiis devinctos teneret, illos jurare coegit, quod ipsum nunquam derelinquere, nec eo inscio Regis electionem ratam habere, minus vero secreta cum Hispanis consilia fovere velint.

§. XCI.

*Ebroicensis Episcopus occupata Luperia captus.*

*Thuan. l. c.* Cum interea Maduanus Dux in hac Franciæ Metropoli suam auctoritatem hac ratione firmaverat, Rex Rothomagum obsidere statuit, ut Normaniæ



nix Provinciam ad suum obsequium <sup>Sæcul. XVI.</sup>  
 revocare posset: porro hanc in rem Bi- <sup>A.C. 1591.</sup>  
 ronio Marescallo præceperat, ut om-  
 nia circumvicina loca occuparet, ac  
 quantum posset, annonæ, bellicique  
 apparatus copiam, ceteraque omnia ad  
 hanc obsidionem necessaria corraderet:  
 ergo Bironius primo Lupariam expug-  
 nat, ubi Claudius Sanctius Ebroicensis  
 Antistes foederatorum fautor, ac re-  
 giis partibus infensissimus capiebatur:  
 hic antea in Abbatia sancti Cheronis  
 prope Carnutum Canonicus Regularis  
 sancti Augustini ob Theologicam eru-  
 ditionem, raramque eloquentiam in-  
 clarescebat: porro eum milites ejus  
 scripta perlustrarent, reperiebatur li-  
 bellus ab ipso compositus, quo Hen-  
 rici III. Regis parricidium tanquam æ-  
 quum, justumque tuebatur: quapro-  
 pter Cadomum abstrahatur, ut in  
 eum Senatus inquireret: eoquod vero  
 perversas suas opiniones pertinaciter  
 tueretur, absdubio tanquam perduellis,  
 læsæque Majestatis reus extremum sup-  
 plicium subiisset, nisi pro eo Borbonius  
 Cardinalis, aliique Præsules deprecati  
 fuissent.

## §. XCH.

*Episcopus ad perpetuos carceres dam-  
 natus, ibidemque mortuus.*

L 5

Ad



Sæcul XVI.

A.C. 1591.

Thu. l. 101.

Ad horum preces Episcopus duntaxat perpetuo carceri in Crepicordienfi arce prope Lexovium mancipabatur, ubi etiam paulopost hoc anno Christi millesimo quingentesimo nonagesimo primo decessit. Ceterum hic idem suarum elucubrationum præstantia nominis sui memoriam plurimum commendabat, ceteris vero ejusdem operibus præcipue palmam eripuit ejusdem tractatus de Eucharistia latino idiomate conscriptus, atque anno Incarnationis dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo quinto Parisiensibus literis excusus, quo omnes illi, qui postea huic argumento insudarunt, utiliter utebantur: porro hic tractatus dividebatur in decem partes, in quarum sex primis Auctor de Eucharistiæ institutione, & reali existentia Corporis, & Sanguinis Christi in hoc Sacramento agit, atque hujus doctrinæ articulos ex sacris literis, & traditione firmiter comprobat, ac Calvinistarum opinionem solide refellit: in septima autem, & octava parte transubstantiationem, atque in nona hujus Sacramenti adorationem, ac demum in decima communionem sub unica duntaxat specie stabilire aggreditur. Hic idem tractatus ex omnibus hucusque circa hoc argumentum editis magis exactus, ampliusque esse videtur: reliqua



reliqua autem ejusdem Episcopi opera Sæcul. XVI.  
A. C. 1591.  
 erant hæc. I. Examen doctrinæ Cal-  
 vini, & Bezæ circa cænam, necnon  
 responsum ad Bezæ apologiam. II.  
 Commentarius *ad edicta veterum Princi-  
 pum de tollenda licentia sectarum in Chri-  
 stiana Religione.* III. Liturgiæ sancto-  
 rum Chrysostomi, & Basilii, qui om-  
 nes hi tractatus latino idiomate con-  
 scripti prostant: gallice vero elucubra-  
 bat Catholicæ fidei confessionem, nec-  
 non dissertationem in devastationes Ec-  
 clesiarum Catholicarum ab ipsis anti-  
 quis hæreticis, & novis Calvinistis  
 factas, præter alia quædam opuscula  
 dogmatica. Ceterum hic idem Epi-  
 scopus a Cardinale Lotharingio, qui  
 eum ad suas ædes receperat, ad Pos-  
 siacense colloquium, & demum ad Tri-  
 dentinum Concilium mittebatur, ubi  
 magnam sibi laudem comparabat: de-  
 mum vero anno Domini millesimo quin-  
 gentesimo septuagesimo quinto Ebroi-  
 census Episcopus creatus fuit, atque  
 anno sequenti Blesensibus comitiis in-  
 terfuit.

§. XCIII.

*Rothomagum a Rege obsessum.*

Interea Bironius Marefcallus expugna-  
 ta Luparia Gurnavium infestis armis  
 cinxit, atque impetu facto cepit, postea  
 vero

*Thu. l. 102.  
David. l. 12.*



Sæcul. XVI. vero Calatensem agrum pertransiens, A.C. 1591. Calidobecum, arcemque Augiensem occupavit, ac demum die undecima Novembris Rothomagum obsidere cæpit, Rege autem ad castra delato, die tertia Decembris urbis Præfectus, atque Ædiles ad deditionem per Fecialem provocabantur, sollicitati, ut Henricum tanquam Regem suum venerarentur. Prælegebatur Regis epistola præfente Governatore primo in Urbis Prætorio, ac postea in Senatu, nihilominus una omnes petulanter respondebant, tali hospite, qualis esset Navarræ Rex, ipsis minime opus esse: accepto hoc responso quantocius Rex obsidionales fossas aperiri, ac tormentorum suggestus erigi iussit: verum Mense Augusto anno sequenti obsidionem solvere cogebatur.

## §. XCIV.

*Gregorii XIV. Papæ obitus.*

Cum jamjam exercitus, quem summus Pontifex in fœderatorum opem in Gallias transmittere parabat, ductore Monte - Marciano Duce Virodunum adventasset, atque ad expeditionem bellicam sese paratum teneret, inopinato nuntio summi Pontificis obitus innotuerat; hic enim, cum sæpius recurrentibus morbis, acutissimisque doloribus



loribus vexatus esset, jam ab aliquo Sæcul. XVI.  
A.C. 1591.  
tempore graviorum negotiorum curam  
potissima ex parte Sfondrato Nepoti suo  
committere cogebatur, exeunte autem  
Mense Septembri adeo excreverat ma-  
lum, ut de ejus vita conclamatum cre-  
deretur, postea tamen paululum con-  
valuit, quamvis continuis languo-  
ribus absumeretur, adeo, ut die quar-  
ta Octobris vitæ suæ finem appro-  
pinquare præsentiens omnes Cardinales  
adesse jusserit, ubi oculi in lacrimas dif-  
fluentibus ita inquebat: „invitum me  
„summa Ecclesiæ dignitate honorastis,  
„attamen adeo excelsum munus ea,  
„qua par esset, sollicitudine administrare,  
„gravissimis meis infirmitatibus præpe-  
„ditus sum, hinc rogo vos, ut meam  
„negligentiam excusatam habere veli-  
„tis: de cetero commendo vobis Ec-  
„clesiam, meosque Nepotes: porro gra-  
„tum mihi obsequium præstabitis, si  
„me adhuc vita supersite Successorem  
„eligere velletis.„ Verumtamen Car-  
dinales, cum ejus morbum adeo pe-  
riculosum haud crederent, dilaudata  
illius sollicitudine eum hortabantur, ut  
unice suæ Valetudinis curam habere  
vellet: ast ipse die decima quinta ejus-  
dem Mensis anno ætatis suæ quinqu-  
gesimo septimo, Pontificatus autem  
sexto Mense, decimoque die animam  
Deo



Sæcul. XVI. Deo reddidit. Postea vigesima quinta  
 A.C. 1591. Octobris die justis de more perfolutis  
 Vincentius Blesius Garzias oratione  
 funebri defuncti Pontificis merita com-  
 mendabat.

§. XCV.

*Varia Gregorii XIV. Papæ di-  
 plomata.*

*Bull. t. 2. pag. 736.*  
*Vid. add. ad Ciac. t. 4. pag. 217.*  
 Gregorius XIV. plura edidit diplo-  
 mata, quæ huc referre haud in-  
 consultum erit: eorum primo die  
 decima nona Decembris Anno Sa-  
 luti nostræ millesimo quingentesimo  
 nonagesimo confirmabat Pii V. Consti-  
 tutionem, qua bona Ecclesiastica, op-  
 pida, arces, & loca ad sacram Roma-  
 nam Ecclesiam pertinentia alienare, vel  
 in feudum dare inhibetur.

II. Constitutione, quam die decima  
 octava Februarii Anno post Christum  
 natum millesimo quingentesimo nona-  
 gesimo primo edidit, Gregorius XIV.  
 declaravit, quod Congregatio Clerico-  
 rum Regularium Minorum, omnibus gra-  
 tiis, prærogativis, & privilegiis Congre-  
 gationis Clericorum Regularium Theatino-  
 rum perfruatur.

III. Diplomate die decima quinta  
 Martii facta est moderatio, duarum Con-  
 stitutionum Sixti V. super receptione No-  
 vitiorum illegitimos ad Ordines Regula-  
 ri,



res, in hac autem Bulla Gregorius XIV. *Sæcul. XVI.*  
 decernit, ut ejusmodi spurii Filii ad *A.C. 1591.*  
 regularium Ordines demum recipian-  
 tur, si tamen bonam indolem, & virtutis  
 specimen præferant, ac tot eis merita suf-  
 fragentur, ut natalium suppleant defectum,  
 eorumque receptio Religionis commodo, &  
 utilitati profutura videatur.

IV. Constitutione die vigesima pri-  
 ma ejusdem Mensis edita prohibentur  
 omnes cautiones, & promissa, quæ de  
 vita, morte, & futura electione summi Ro-  
 mani Pontificis, ac de promotionibus sacræ  
 Romanæ Ecclesiæ Cardinalium facta sunt,  
 insuper præcepit Pontifex indicta ana-  
 thematis poena, ut quicquid pecunia-  
 rum hoc pacto datum, aut promissum  
 fuerit, in pia opera impendatur.

V. Diplomate die trigesima Aprilis  
 promulgato confirmatur exemptio Fra-  
 trum Militum sancti Joannis Jerosoly-  
 mitani, eorumque Familiarium, a solu-  
 tione decimarum, & aliorum onerum:  
 eadem quoque Constitutione Pon-  
 tifex supremi Magistri, ejusque Se-  
 natus arbitrio beneficiorum collationem  
 relinquit in his, quæ ad curam ani-  
 marum pertinent, ea tamen lege, ut  
 ubique Concilii Tridentini decreta om-  
 nino serventur.

VI. Die decima quinta Maji præ-  
 scripsit formam, juxta quam Clerici ex  
 præ-



Sæcul. XVI. præscripto Concilii Tridentini ad regimina  
 A.C. 1591. *Ecclesiarum Cathedralium, & aliarum di-*  
*gnitatum promoveri debeant.*

VII. In alio diplomate die vigesima quarta Maji agitur de immunitate Ecclesiarum quibusdam exceptis casibus inviolabiliter observanda.

VIII. Die trigesima ejusdem Mensis per novam bullam moderabatur Constitutionem a Sixto V. editam contra abortum quovis modo procurantes, & eorum complices.

IX. Rursus die vigesima octava Junii institutum Societatis approbavit.

X. Quodam diplomate die sexta Julii decrevit, quod nec *Fratres Reformati, nec Fratres Minores Conventuales S. Francisci, neque alii Religiosi Capucium, & habitum Capucinorum, vel alium ei consimilem deferre possint.*

XI. Die decima octava ejusdem Mensis stabilivit jurisdictionem S.R.E. Cardinalis Protectoris, & Judicis causarum promonasterio Monialium S. Marthæ de Urbe.

XII. Fecit confirmationem privilegiorum ordinis Fratrum cruciferorum, & indulgit communicationem gratiarum Ordinibus Religiosorum Mendicantium concessarum, & concedendarum.

XIII. Edidit declarationem jurisdictionis, & privilegiorum Rotæ civitatis



tatis Maceratæ, statusque Eccle- Sæcul. XVI.  
A.C. 1591.  
siastici.

XIV. Præscripsit modum recipiendi  
Novitios ad Societatem, sicut etiam  
egit

XV. De Ordine Cisterciensium, ac  
de Congregatione Regularium infirmis  
ministrantium.

XVI. Moderabatur *indulta*, quæ S.  
R. E. Cardinalibus super collatione be-  
neficiorum concessa fuere.

§. XCVI.

*Cardinales a Gregorio XIV. Papa  
creati.*

Ceterum Gregorius XIV. summus Pon- Ciac. tom. 4.  
pag. 224.  
tifex bina vice Cardinalium Col-  
legium novis Purpuratis auxerat, &  
quidem primo feria quarta decima no-  
na Decembris octava, aut nona post  
suam electionem die unicum creaverat  
Paulum Æmilium Sfondratum Medio-  
lanensem, Nepotem suum, Cremonen-  
sem Episcopum, qui nominatus est Car-  
dinalis Presbyter titulo sanctæ Cæcilie,  
necnon Episcopus Albanensis, porro is  
educatus fuerat sub disciplina sancti  
Philippi Nerei, qui Congregationem  
Patrum Oratorii Romæ erexerat: altera  
autem inauguratione idem Pontifex die  
sexta Martii hoc anno quatuor Præsu-  
les Romana purpura decorabat, quo-  
rum

*Hist. Eccles. Tom. LI.*

M

rum



Sæcul. XVI.  
A.C. 1591.

rum primus erat Octavius Paravicini Romanus tit. sancti Alexii. II. Odo- rardus Farnesius Alexandri Parmensis Ducis Filius, qui Cardinalibus Diaconis adscriptus titulum sancti Eustachii obtinuit, & postea Tusculanus Antistes renuntiatus fuit. III. Octavius Aquaviva de Arragonia, patria Neapolitanus, ibidemque Archiepiscopus, & Cardinalis Diaconus, tit. sancti Georgii in Velabro, demum vero Presbyter tit. sanctæ Mariæ de Populo: postremus erat Flaminus Platus Mediolanensis Sfondratorum Familiæ sanguine junctus, qui primo Cardinalis Diaconus tit. sanctæ Mariæ in Dominica, & postea tituli sanctorum Cosmæ, & Damiani, ac denique Presbyter tit. sanctorum Clementis, & Onuphrii, quod tamen paulopost relicto titulum sanctæ Mariæ de pace optabat.

§. XCVII.

*Hujus Pontificis indoles.*

*Ciac. l. c.*  
*Attichy flores hist.*  
*Card. t. 3.*  
*pag. 527.*

ENIMVERO hic idem summus Pontifex Gregorius XIV. eximiis animi dotibus inclarescebat: erat enim in oratione assiduus, vitæ castimonia, ac sobrietate adeo insignis, ut nonnisi postremis vitæ suæ diebus vino uteretur. insuper singulis feriis sextis, nisi morbo præpediretur, jejunio corpus suum macerabat,



cerabat, ac qualibet feria quarta a car-  
 nium esu abstinerebat, nimia tamen sim-  
 plicitas, facilitasque in eo carpitur, quo  
 vitio prædominante plus æque sese Hi-  
 spanorum studiis dicabat, ac literas,  
 ut vocant, monitoriales, ut supra me-  
 minimus, ad Franciæ Principes dabat,  
 quamvis rei exitus ejusdem intentioni  
 minime responderet: quocirca Histori-  
 corum plures etiam natione Itali de eo  
 scribere non dubitabant, quod Grego-  
 rius, quoniam rerum politicarum usu,  
 & constantia, ac firmitate in tot gra-  
 vissimis negotiis, ac iniquissimis tem-  
 poribus necessaria caruit, tantæ digni-  
 tati haud par esse judicatus fuerit, hinc  
 dum adhuc privatam vitam agebat,  
 longe plus habebatur, quam postquam  
 sacre Sedi supremus Princeps præfuit.

## §. XCVIII.

*Sacrorum comitiorum initia.*

Die vigesima septima Octobris post-  
 quam sacri Collegii Decanus rem  
 divinam in divi Petri Templo perege-  
 rat, ac Ragazzonius Bergomensis Epi-  
 scopus ibidem de novi Pontificis ele-  
 ctione elegantem sermonem perorave-  
 rat, omnes Cardinales instructo suppli-  
 cantium agmine ad sacrorum comitio-  
 rum locum processerunt, eademque die  
 Sanseverinus, & Madrutius Cardina-  
 les

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1591.



Sæcul. XVI.  
A. C. 1591.

les proponerentur, quin tamen quicquam hac in re decideretur: reliquum vero diei tempus excipiendis dicabant Oratoribus, quibus vespere circa quintam horam recedentibus conclavis portæ occludebantur. Feria quarta die vigesima octava ejusdem Mensis omnes Cardinales ad Sacellum Paulinum convenere, & decantato sacro solemniter de Spiritu sancto una omnes sumpta sacra Eucharistia suffragia colligere cœperant, ubi triginta tres Cardinali tit. sanctorum quatuor Coronatorum, decem Cosmæ duodecim Paleotto, totidem Salviato, octo Madrutio, totidemque Aldobrandino, & quatuordecim Sanseverino suffragabantur, reliqui vero pauciora tulere suffragia.

Ceterum quamvis Hispani haud adeo impense primi hujus Cardinalis electionem urgerent, nihilominus cum plurimorum vota in eum concurrere cernerent, suam quoque operam ei addicebant: aliunde enim verebantur, ne hæc comitia diutius, quam priora, protraherentur, aut nuntius de Gregorii Papæ morte in Gallias deferretur, ubi exercitus a præfato Pontifice in Franciam destinatus vel prævalente metu, vel deficiente ære militari dissiparetur, adeo, ut eorum consilia, quæ adversus hoc regnum molirentur, evanescerent:



rent: eapropter pariter Cardinali Sancto-  
 rorum quatuor Coronatorum adhæsere,  
 eique plurium adhuc suffragia con-  
 ciliabant.

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1591.

§. XCIX.

*Cardinalis tit. Sanctorum quatuor  
 Coronatorum in Papam electus  
 assumpto nomine Inno-  
 centii IX.*

Rebus ita dispositis Cardinalis Sfortia  
 altera die vigesima nona ejusdem  
 Mensis summo mane Mendozam, Caje-  
 tanum, Borromæum, Ascanium Co-  
 lumnæ, Matthæum, Lancellotum,  
 pluresque alios rogabat, ut ipso comite  
 ad Montalti Cardinalis cubile acce-  
 derent: porro hi omnes inde unacum  
 illo ad cellam Cardinalis Sanctorum qua-  
 tuor Coronatorum pergebant, quo jam-  
 jam Sfondratus cum suis clientibus con-  
 venerat: quos cum ceteri omnes Purpu-  
 rati mox sequerentur, eorum duo præfati  
 Cardinalis brachia sustinentes illum ad  
 Sacellum Paulinum conducebant, eum-  
 que apertis schedis eligebant, quem  
 deinceps suo ordine tanquam electum  
 Pontificem salutabat: hic igitur solem-  
 niori veste indutus in Pontificio solio  
 confedit, a toto sacro Collegio pro more  
 honoratus: postmodum autem habitu  
 Pontificio ornatus, ac thiara capiti im-

Ciac. t. 4.

pag. 235.

Thuan. hist.  
 l. 102.

M 3

posita



Sæcul. XVI  
A.C. 1591.

posita ad aram ducebatur, ubi rursus ab omnibus Cardinalibus pari submissio- nis obsequio colebatur, atque appropin- quante nocte in magna sede ad Ba- silicam Divi Petri deferebatur, ubi præ- tereuntem tam copiosa concurrentis populi multitudo circumdabat, ut non- nisi ægerrime ad Templum deferri pos- set. Demum precibus coram sanctissi- mo Sacramento persolutis ad altare sanctorum Apostolorum deportatus ter- tia vice consueto obsequio honorabatur, ubi universo populo bene precatus est: peractis vero hisce solemniis ad Vati- canum Palatium concessit, nomenque Innocentii IX. assumpsit. Agebat tum septuagesimum tertium ætatis suæ an- num.

§. C.

*Hujus Pontificis Historia, variaque illius dignitates.*

*Ciac. p. 235.* Eratis patria Bononiensis nomine Joannes Antonius Fachinettus ex nobilissimo genere in Novarrensi Diæcesi die vigesima Mensis Augusti anno Christi millesimo quingentesimo decimo nono natus, qui Bononiæ multiplici literarum disciplina institutus, ibidemque utrius- que jurisprudentiæ laurea decoratus Romam contendit, ubi Ardinghello Cardinali ab epistolis erat, postea vero ab



Sæcul XVI.  
A C 1591.

ab Alexandro Farnesio Cardinale Pauli III. Nepote in ipsius familiam receptus Avenionem mittebatur, inde autem redux Parmensis Gubernator renuntiabatur. Demum utriusque, ut vocant, Signaturæ Referendarius a Paulo IV., ac postea a Pio IV. Neocastrensis in Calabria Episcopus salutatus, ad Concilium Tridentinum decernebatur, ex quo loco tanquam Papæ Nuntius Venetias missus sexto ibidem anno substitit: ineunte autem Gregorii XIII. Pontificatu Romam reversus ad suam Diæcesin secessit, cui etiam cum ingenti Zelo, ac pietate præfuit: porro cum in hac regione aeris asperitas ejus valetudini adversaretur, hinc Episcopatu cedens Romam rediit, ubi a summo Pontifice gravissimis præfectus negotiis Patriarcha Jerosolymitanus creabatur, ac demum anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo octogesimo tertio Cardinalis tit. sanctorum quatuor Coronatorum eligebatur, unde etiam vulgo Cardinalis de sanctis quatuor Coronatis dictus est. Ceterum Sixto quinto ad Pontificatum evecto unacum aliis nominatus est, ut causam de Guisii Cardinalis nece, necnon de Borbonio Cardinale ab Henrico III. Galliarum Rege in vincula coniecto discuteret: denique regnante Gregorio XIV. omnia Signaturæ negotia expedire

M 4

dire



Sæcul XVI.  
A.C. 1591.

dire iussus cum ingenti prudentia, atque integritate hoc munere defunctus est.

§. CI.

*Pontificatus sui auspicia.*

*Eiac. l. c.*

*Thu. l. 102.*

Die tertia Novembris, in quam dies Dominica inciderat, neo-electus Pontifex in Basilica Principis Apostolorum in specula, ex qua Pontifices in solemnioribus festis populo benedicere solent, inauguratus est, altera autem die convocato Purpuratorum Senatu Cardinalibus ob factam electionem gratias referens plura eis, quæ pro Ecclesiæ utilitate concepisset, consilia manifestabat, atque inter alia exponebat, quod secreto proprias haberet pecunias, quibus sacræ Sedis necessitatibus, ac populi miseris in variis gravioribus occasionibus subvenire posset: insuper quadraginta aureorum millia mutuo accepit, ne aurum, quod in Adriani arce a Sixto V. depositum erat, attingeret, quoniam expedire Reipublicæ dicebat, ut in ærario Pontificio magnum aliquod auri pondus ad graviora rerumpublicarum incommoda, & duriora tempora reconditum, & intactum servaretur: insuper petebat, ut tunc, si annona, vel aliæ merces emerentur, cuncta semper parata pecunia solverentur,



Sæcul. XVI.  
A.C. 1590.

tur, aiebat enim, quod eo tempore, quo adhuc Episcopus, aut Cardinalis fuisset, quicquam obstricta duntaxat fide emere, semper horrore habuerit, proin nunc quoque, cum Papa esset, a veteri hac consuetudine sua recedere nolit. Præterea ad Patriarchas, ac Primates, Cardinalium aliquot hortatu, renovato pristino more, literas dedit, quibus suam ad Pontificatum promotionem significabat, illosque, ut piis eum precibus apud Deum pro fausto regimine juvarent, precabatur.

Ceterum die vigesima nona Novembris Mantuæ Ducem, qui suum ei obsequium præstiturus advenerat, excepit, eique locum inter Cardinales Diaconos assignavit: insuper pretia omnibus cibariis, aliisque ad victum necessariis rebus, edicto publico præscripsit, nam propter egestatem proximam nimium excreverant: unde rerum omnium abundantiam exiguo, quo vixerat, tempore quantum valuit, revocabat, quamvis vero de Ecclesiæ necessitatibus, ac Romanæ Curie consiliis, variisque illorum, qui supplicatum venerant, conditionibus satis probe instructus esset, nullam tamen gratiam concedere voluit, nisi prius aliorum consilium expetiisset: denique tanta in omnibus prudentia



Sæcul. XVI.  
A.C. 1591.  
dentia inclarescebat, ut simul Nobiles, & populus, exterique Ministri penitus de ejus agendi ratione contenti essent: præterea non modo Pii V. Constitutionem de non alienandis Ecclesiæ bonis confirmabat, sed etiam novo, magisque severo diplomate hoc interdictum extendebat, porro cum Cajetanus Cardinalis pro Joanne Antonio Ursino veniam precaretur, atque ingentem pecuniæ summam offerret, Pontifex hæc in responsis dabat: „non peto pecuniam, sed obedientiam. „

## §. CII.

*Magna hujus Pontificis consilia, ejusque obitus.*

*Ciac. l. c.*  
*Victorel*  
*påg. 240.*

Hic idem Pontifex Anconnae portum, ut expedita magis redderetur navigatio, expurgare, ac prope arcem sancti Angeli fossam, ut ab urbe Romana crebras Tyberis inundationes averteret, fodere proposuerat: insuper etiam populum Romanum a vectigalibus non ita pridem impositis liberare, infidelium conversioni insudare, hæreses extirpare, suaque liberali manu Japonum Ecclesiam sub Principis ibi regnantis tyrannide gementem sublevare decreverat: verum præmatura mors tot consiliorum progressum intercepit; quippe per octo dies febri laborans die trigesima



ma Decembris mortalitatem exiit, postquam nonnisi unico bimestri divi Petri Cathedram moderatus erat: paucis tamen ante obitum suum diebus duos creabat Cardinales, Philippum Segam Bononiensem origine Ravennatem, & Antonium Fachinettum ex Sorore sua Nepotem octodecim annorum juvenem: cum autem deficiente corporis vigore aliquamdiu ante mortem suam summo-pere languere cæpisset, ferme semper lecto affixus non raro adventantes excipere cogebatur. Eadem die ejusdem cadaver a Canonicis ad Basilicam Divi Petri delatum ibidem per tres dies expositum erat, ubi postea Cardinales justis de more persolutis illud lateritio tumulo inter Marcelli II. & Urbani VII. Pontificum ossa condebant, inde vero paulopost ejus corpus translatum plumbeæ inclusum arcæ, & sarcophago marmoreo munitum terræ mandatum est. Porro Sedes nonnisi unico Mense vacabat.

§. CIII.

*Antonii Caraffæ Cardinalis obitus.*

Ante Innocentii IX. Papæ mortem Ciac. vit. Pontif. t. 3. pag. 1035. quinque alii Cardinales eodem hoc anno naturæ debitum solvere cogebantur, quos inter primus erat Antonius Attichy flores hist. Card. t. 3. pag. 503. Caraffa patria Neapolitanus ex Caraffarum

Sæcul. XVI.  
A C. 1591.



Sæcul. XVI.  
A.C. 1591.

farum Montis - nigri Marchionum, & Clusanorum stirpe progenitus, qui a Paulo IV. suo cognato pro addiscenda lingua Græca Cardinalis Sirleti curæ commissus ingentes fecerat progressus: mortuo autem hoc Pontifice in communi Caraffarum casu comprehensus, atque a Pio IV. suo Canonicatu, quem in Basilica sancti Petri obtinuerat, spoliatus Patavium secessit, ubi legum studio egregiam navans operam tantum sibi nomen comparabat, ut a Pio V. ad summum Pontificatum evecto Romam accersitus, Cardinalis tit. sancti Eusebii, dum secunda jam vice Purpuratorum Collegium augebatur, anno a partu Virginis millesimo quingentesimo sexagesimo octavo, trigesimo ætatis suæ anno eligeretur, ubi dein indefesso studio literis vacans Pontificum decreta in tria volumina collegit: mortuo autem Sirleto, cui educandus tradebatur, postea a Sixto V. Præses Congregationis ad græcam, & latinam Bibliorum editionem erectæ seligebatur: porro dein nominatus est Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus regnante Gregorio XIII. qui ad Caraffæ preces Festum de Cathedra Romana sancti Petri instituit: insuper hic idem Cardinalis unacum aliis Congregationi pro explicanda Tridentina Synodo celebratæ præfuit, simulque septua-



septuaginta Interpretum Biblia correxit, additis etiam adnotationibus, quas ipsemet elaboravit: postea autem ex græco idiomate latine reddidit antiquorum Patrum catenam in Canticam veteris, quam novi Testamenti, necnon Theodreti commentarios in Psalmos, præter quosdam divi Gregorii Nazianzeni sermones. Denique Conciliorum elucubrationi manum admovebat: ast mors ei calamum excussit; hoc enim anno Redemptionis nostræ millesimo quingentesimo nonagesimo primo, ætatis vero suæ quinquagesimo tertio die duodecima Januarii obiit, sepultusque fuit in Ecclesia sancti Sylvestri, ubi ad ejus exequias peroravit Pater Franciscus Bencius Jesuita. Hunc etiam Cardinalem Hofius, & Baronius ambo Purpurati amplissimis celebrabant elogiis, imo eidem Baronius etiam quemdam suorum annalium ecclesiasticorum tomum nuncupabat: denique Carassa totam suppellectilem Maronitis, quorum Protector erat, testamento reliquerat, ac pro illis jam antea Ecclesiam construxerat.

## §. CIV.

*Sorbellonii Cardinalis fata.*

Alter erat Joannes Antonius Sorbellonius patria Mediolanensis, ac Fi-

*Ciac. t. 3.  
pag. 889.  
Vitt. in add.  
lius ibid.*

*Sæcul. XVI.  
A. C. 1591.*



*Sæcul. XVI.* lius Petri Sorbellonii, & Elisabethæ  
*A.C. 1591.* Raynoldæ, quorum uterque ex nobilissima Mediolanensium familia ortum ducebant: porro Joannes Antonius inter eorum liberos erat quarto-genitus, qui ob jurisprudentiæ scientiam, necnon in rebus gerendis dexteritatem Pio IV. Papæ apprime carus Fuligeratensis Episcopus primo, & postea inter Cardinales, quos idem Pontifex creaverat, primus anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo Cardinalis tit. sancti Georgii in Velabro renuntiabatur, unde semper, licet hunc titulum cum pluribus aliis commutasset, Cardinalis sancti Georgii nominatus est. Præerat etiam Gubernator pluribus ditionis ecclesiasticæ urbibus, simulque Perusiæ, & Umbriæ Legationem obibat, ubi rara æquitatis suæ specimina edidit, aliunde vero singulari in rebus dirigendis perspicacia præditus, hinc cum Pius IV., Pius V. Gregorius XIII., & Sixtus V. Pontifices regnarent, sacratissima quævis Curia Romanæ negotia pertractare jubebatur, cumque Pio IV. sanguine junctus, eique alias summo opere acceptus esset, pro Collegio Mediolanensium Doctorum ampla ab eo obtinuit privilegia. Demum sub Gregorii XIII. Pontificatu Albanensis, Prænestinus, & Tusculanus Antistes, necnon

*Ughel in Ital. Sacra.*

*Ughel in Ital. Sacra.*



necnon sub Sixto V. Portuensis, atque Sæcul. XVI.  
A.C. 1591.  
Ostiensis Episcopus creatus die decima  
octava Martii sacri Collegii Decanus  
Romæ anno ætatis suæ septuagesimo  
secundo fati cessit, ac corpus ejus in  
Ecclesia sanctæ Mariæ ad Thermas se-  
pultum quiescit. Hic idem Cardinalis  
Novarræ Seminarium erexit, ibidem-  
que Synodum celebravit, cujus decreta  
typis edita prostant.

## §. CV.

*Albani Cardinalis extrema.*

Tertius ex Cardinalibus hoc anno mor- Ciac. t. 3.  
pag. 1062.  
Vitt. l. c.  
Gabut in vit.  
Pii V.  
tuis erat Joannes Hieronymus Al-  
banus natione Italus Bergomi anno  
Christi millesimo quingentesimo quarto  
natus ex Comite Francisco Albano, qui  
Filium suum humaniorum literarum,  
necnon sacrae, ac profanae jurispruden-  
tiæ studiis solerter imbui curabat, unde  
Joannes in his scientiis magnum quidem  
fecerat progressum, semper tamen ma-  
jorem ad arma propensionem præfese-  
rebat, ubi etiam tam præclara fortitu-  
dinis suæ specimina edebat, ut a Ve-  
netorum Republica præceteris selectus  
supremo exercitus imperio donaretur,  
quo in munere victoriis clarus a Senatu  
in præstiti obsequii præmium Bergomi  
in patria sua supremum Magistratum  
obtinet, ibidemque connubio junctus  
plures



Sæcul. XVI. plures susceperat proles: ast evolutis  
 A.C. 1591 aliquot annis uxore orbatus ad secun-  
 das nuptias transire tardabat: interea  
 vero, cum adhuc in ditioe Veneta moraretur, Alexandrino Cardinali, qui tum Inquisitoris munere ibidem fungebatur, arcta amicitia junctus erat, atque in variis occasionibus meriti sui præstantiam, profundam jurisprudentiæ scientiam, necnon suum Religionis studium satis comprobatum eidem reddebat, quapropter hic Cardinalis, dum sub nomine Pii V. Divi Petri Cathedralam conscenderat, præclari hujus Viri memor Romam eum venire rogavit, eumque primo Pœnitentiarium Apostolicum, postea autem Marchiæ Anconitanæ Gubernatorem nominavit, tandem Albanus anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo septuagesimo Romana purpura decoratus titulum sancti Joannis ante portam Latinam obtinuit. Ceterum Albanus erat in concepto semel proposito immotus, in conversatione liber, nec minus, quin ullum offenderet, in proferendis salibus facetus, necnon in dicenda sententia sapientissimus, tantumque nomen sibi apud Purpuratos comparabat, ut Gregorio XIII. satis sancto anno post Christum natum millesimo quingentesimo octogesimo quinto in Papam electus fuisset,



fuisset, nisi ejus proles, quas ex legi-  
 timo suo connubio susceperat, regi-  
 minis socios fore, nonnulli pertimui-  
 sent. Obiit Romæ octoginta septem  
 annos natus Sabbato die vigesima quin-  
 ta Aprilis, sepultusque est in Ecclesia  
 sanctæ Mariæ de Populo. Scripsit tra-  
 ctatum latinum de immunitate Eccle-  
 siastica, quem anno restauratæ Salutis  
 millesimo quingentesimo quinquagesimo  
 tertio Julio III. Pontifici nuncupabat:  
 edidit quoque alium tractatum de po-  
 testate Pontificis, & Concilii anno Christi  
 millesimo quingentesimo quinquagesi-  
 mo quinto Lugdunensibus, ac tertio  
 post anno Venetis literis excusum, in-  
 super conscripsit aliud opusculum de  
 donatione Constantini, necnon tracta-  
 tum de Cardinalibus.

§. CVI.

*Cardinalis de Rubeis mortuus.*

Quartus erat Hyppolitus de Rubeis pa-  
 tria Parmensis, non modo Majorum  
 nobilitate celebris, sed etiam pro-  
 prio virtutum, atque eruditionis me-  
 rito clarus, & Theologiæ scientia, nec-  
 non jurisprudentiæ laude conspicuus.  
 Is anno Christi millesimo quingentesimo  
 trigesimo secundo natus Patrem habuit  
 Petrum Mariam sancti Secundi Comi-  
 tem, Matrem vero Camillam de Gon-  
 zaga,

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1591.

Ciac. tom. 4.  
 pag. 157.  
 Ughel Ital.  
 Sacr.

Hist. Eccles. Tom. Ll. N zaga,



Sæcul. XVI. zaga, cumque in celebrioribus Italiae  
 A.C. 1591. Academiis animum scientiis imbuisset,  
 ad Aulam Romanam progressus a Paulo IV. Papa Cubicularius, & postea Protonotarius Apostolicus, ac demum Papiensis Episcopus anno a Christi Nativitate millesimo quingentesimo sexagesimo sexto renunciatus fuit, Concilioque Tridentino interfuit, ubi propter singulare ingenii acumen, & eruditionis laudem magna nominis sui celebritate eminuit. Postea anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo octogesimo quinto sub Sixti V. Pontificatu Romana purpura decoratus est, quin ob tantum honorem quicquam in morum suorum integritate, vitæque probitate immutaret: unde adhuc omnes ecclesiasticos suæ Diæcesis redditus propria manu in pauperes dividebat, & viduis, ac pupillis, consilio, auctoritate, atque opibus subveniebat, porro vix obtenta Cardinalitia dignitate quantocius Papiam ad Ecclesiæ suæ regimen reversus fuit, atque a sua Diæcesi nunquam nisi ad sacra comitia mortuo Sixto V. recedebat. Tandem feria secunda die vigesima octava Aprilis decessit, sepultusque fuit in Ecclesia sui tituli, tum nonnisi quinquagesimum nonum ætatis suæ annum agens unacum aliquot diebus.

§. CVII.



## §. CVII.

*Mors Joannis Vincentii Gonzagæ  
Cardinalis.*Sæcul. XVI.  
A.C. 1591.

Postremus denique inter Cardinales  
hoc anno mortuos erat Vincentius  
Gonzaga Ferdinandi Molfettæ Ducis,  
Adriani, & Guastallæ Principis, Pro-  
Regis Siciliæ, Velleris aurei Equitis,  
Mediolanensis Gubernatoris &c. & Isa-  
bellæ Capuanæ Filius, qui Mense De-  
cembri anno Salvatoris nostri millesi-  
mo quingentesimo quadragesimo natus,  
ex suis fratribus tertio - genitus erat;  
Franciscus enim secundo-genitus pariter  
Cardinalis jam anno Domini millesimo  
quingentesimo sexagesimo sexto, ætatis  
suæ vigesimo septimo decesserat: por-  
ronatu minimus, cujus historiam nunc  
teximus, in vitæ, fortunæque suæ sta-  
dio longius excurrebat; quippe tan-  
quam Joannis Hierosolymitani Ordinis  
Eques Melitam delatus ibidem trire-  
mum ejusdem Religionis imperium  
susceperat: postea vero revocatus fuit  
a Guilielmo Mantuæ Duce consobrino  
suo, ut ei in Ducatus administratione  
opem aliquam consilio, ac prudentia  
ferret, ubi eodem instante, in locum  
Francisci Cardinalis Gonzagæ fratris  
sui defuncti, a Gregorio XIII. Diaconus  
Cardinalis S. Georgii primo, mox S.  
Mariæ

Ciac. l. 4.  
pag. 67.  
Ughel in  
add. t. ad  
Ciac.

N 2

Mariæ



Sæcul. XVI  
A.C. 1591.

Mariæ in Cosmedin creatus est, anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo septuagesimo octavo: regnante autem Sixto V. Presbyter Cardinalis nominatus pluribus maximi momenti negotiis præficiebatur: denique die vigesima secunda Decembris hoc anno Romæ paucis ante Innocentii IX. obitum diebus mortem oppetiit, postquam nonnisi quinquagesimum primum ætatis suæ annum, paucosque dies attigerat, sepultus in Ecclesia sancti Alexii, quem titulum postremo assumpserat, ubi illam Ecclesiam multis reparationibus, ac locupletissimis ornamentis decoraverat. Interfuit etiam sacris quatuor postremis Purpuratorum Comitibus.

§. CVIII.

*Francisci Riberæ mors.*

*Alegamb.  
de Script.  
Soc. Dupin  
Bibl. Sæc.  
XVI. p. 364.*

Inter Scriptores Ecclesiasticos, qui hoc anno decesserunt, præter Claudium Sanctium, cujus supra meminimus, insuper recensendi veniunt Franciscus de Ribera, & Edmundus Augerus Jesuitæ, necnon Aloysius, & Gravius. Ex his Franciscus Ribera Villacastini in Segobienfi Hispaniæ ditione natus in Universitate Salmanticensi literis operam navabat, præcipue vero ad peritiorem sacræ Scripturæ cognitionem linguarum studio sese impendebat, cum tanto laboris



laboris sui compendio, ut inter celeberrimos ævi sui Theologos nominaretur. Postea Sacerdotio initiatus in patriam suam revertebatur, ubi anno Christi millesimo quingentesimo septuagesimo, ætatis vero suæ trigesimo tertio Societatis institutum amplexus fuit, atque expleto Novitiatus curriculo Salmanticæ sacram doctrinam tradere jubebatur, quo in munere sexdecim annos cum ingenti applausu impendebat, tandem vero mense Novembri nonnisi quinquaginta annos natus obiit. Porro ex operibus ab ipso elucubratis præcipue laudatur commentarius in duodecim minores Prophetas, ubi simul historicum, allegoricum, & moralem sensum explicat: porro hujus commentarii compendium Salmanticæ typis impressum prodiit: insuper scripsit Commentarios in epistolam divi Pauli ad Hebræos, necnon in Apocalypsin, & Evangelium sancti Joannis: præterea latino sermone edidit librum Antverpiæ impressum de templo Jerosolymitano, omnibusque ejus partibus, ex quibus constat: postremum vero illius opus erat sanctæ Theresiæ, cujus conscientiam moderabatur, vita Hispano idiomate conscripta.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1591.



Sæcul. XVI.

A.C. 1591

§. CIX.

*Edmundi Augeri Jesuitæ extrema.**Derigny in  
ejus vita.*

Alter erat Edmundus Augerus, qui in quodam Trecentis Diœcesis oppido prope Sesauniam ex rusticæ gentis parentibus natus erat, atque a suo Patruo ejusdem loci Parocho elevabatur, postea vero Romam mendicato vivens profectus ibidem ad culinæ servitium a Jesuitis recipiebatur: cum vero hi Patres hunc juvenem ingenii acie, morumque integritate præclarum cernerent, eundem ad Novitiatum admittebant, vivente adhuc sancto Ignatio, qui illum singulari studio ad pietatis exercitia incitabat, cumque Augerus hujus Magistri præceptis plurimum proficeret, Perusium, Patavium, ac demum ad Collegium Romanum mittebatur, ut ibidem artem Poeticam, ac Rhetoricam traderet: demum vero in Franciam missus indefesso Zelo hæreticos debellabat, adeo, ut non raro vitæ suæ discrimini exponeretur: porro anno post Christum natum millesimo quingentesimo sexagesimo septimo jejunii verni tempore coram Carolo IX. concionabatur, anno autem millesimo quingentesimo septuagesimo quinto ab Henrico III. seligebatur, ut ejus conscientiam moderaretur, atque in illius Aula Verbum Dei prædicat.



dicaret: attamen ob nimium, quo huic Principi adhærebat, affectum fœderatis tantopere exosum sese reddebat, ut relicta Aula Lugdunum secederet, ubi iterum ob ingentem, qua pollebat, auctoritatem plurimos sibi accersebat æmulos, qui cives ad Regis obsequium ejus opera inclinari verebantur: quapropter Turnonium aufugere compellebatur, ac postea a supremo Societatis Præposito Romam evocatus, mutato tamen præcepto Venetias, ac postea Bononiam, demum vero Comum contendit, ubi & mortuus est, postquam pluradogmatica conscripserat opuscula.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1591.

§. CX.

*Aloysii Legionensis obitus.*

Erat Aloysius, seu Ludovicus Legionensis ex Ordine Fratrum Eremitarum sancti Augustini alumnus, qui diu Salmanticæ sacras literas tradidit, ac demum plures circa sacrum Codicem libros conscripsit, ex quibus palmam ceteris præripit tractatus latinus de legitimo tempore utriusque agni typici, ac veri immolationis, ubi omnes difficultates circa ultimam Domini nostri Cœnam oppositas exacte discutit, ac propugnat, quod Christus Dominus legale Pascha fecerit, agnumque ad noctem feriæ quintæ, quæ erat juxta Judæos

Dupin. Bibl.  
Sæcul. XVI.  
part 4.  
pag. 343.



Sæcul. XVI  
A. C. 1591

initium lunæ decimæ quartæ Mensis Nisan, cum suis Discipulis comederit. Edebatur hic tractatus Salmanticæ anno post Christum natum millesimo quingentesimo octogesimo septimo: porro præter hunc librum Ludovicus Legionensis pariter elucubrabat explanationem Cantici Canticorum, necnon explanationem viginti septem psalmodum, ac tres libros de divinis Nominibus: insuper cantica canticorum hispanice reddidit, qua tamen versione sua hæresis suspicionem incurrebat, adeo, ut carceri manciparetur, ubi etiam per quinque annos inclusus hærebat: tandem vero die vigesima tertia Augusti anno ætatis suæ sexagesimo quarto mortalitatem exiit.

§. CXI.

*Henrici Gravii fatum.*

*The. l. 100.*  
*Myr. elog.*  
*Belg. p. 41.*

Denique Henricus Gravius celebris cujusdam Typographi nomine Bartholomæi Filius primo eandem artem cum Patre suo profitebatur, celeberrimamque sese reddebat: cum vero sese ad altiora natum crederet, postea Theologiæ studio sese impendit, tam amplo eruditionis profectu, ut in Lovaniensi Universitate per viginti annos Theologicas disciplinas traderet: inde autem a Sixto V. Romam vocabatur, ut

Biblio-



Bibliothecæ, necnon Vaticanæ typographiæ curam in se susciperet: ast Romanam delatus jamjam Sixtum Papam morte sublatum compererat, ab ejus tamen Successore, qui idem consilium fovebat, ad emendanda sanctorum Patrum opera impendebatur, quo labore feliciter defunctus Antonii Caraffæ, Borromæi, Columnæ, Cusani, aliorumque Cardinalium, præcipue vero Baronii etidem Cardinalis amicitiam sibi demerebatur, die autem secunda Aprilis hoc anno ætatis suæ quinquagesimo quinto Romæ quinta post suam ad hanc urbem adventum die rebus humanis valedixit. Scripserat is adnotationes in septimum tomum operum sancti Augustini, ubi hic sanctus Doctor agit de hæresibus, eadem autem occasione Grævius persæpe cujusdam tractatus Historici, quem de Donatistis elucubravit, mentionem facit.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1591.

§. CXII.

*Laurentiæ Strozziæ obitus.*

Hoc item sæculo Rempublicam literariam plurimum illustrabant opera Laurentiæ Strozziæ, quæ non minus vitæ sanctitate illustris, quam eruditione ultra sexus sui conditionem conspicua erat, quamvis ob eximiam humilitatis suæ virtutem nunquam in am-

*Thu. 1100.  
Eckard de  
Script. FF.  
Præd. 1. 2.*



Sæcul. XVI. plo mundi teatro comparere voluerit.  
A. C. 1591. Erat illa Soror celebris Quirini Stroz-  
 zii Nobilis Florentini, qui postquam  
 idioma Græcum, & Philosophiam Flo-  
 rentiæ, Bononiæ, & Pisis tradiderat,  
 anno Christi millesimo quingentesimo  
 sexagesimo quinto, ætatis suæ sexagesi-  
 mo tertio decessit. Ceterum Laurentia  
 ex Ordine sancti Dominici in Mo-  
 nasterio sancti Nicolai de Prato in Etru-  
 ria fuerat educata, ibidemque sacrum  
 hoc institutum professa, ubi etiam va-  
 riis linguis præcipue latina, & Græca  
 apprime se excolebat, atque ad quæ-  
 libet festa, quæ per totius anni cursum  
 in Ecclesia juxta Breviarii Romani cur-  
 sum celebrantur, latinas Odas, librum-  
 que Hymnorum composuit, & Horatiani  
 styli elegantiam communi litera-  
 torum judicio imitata, eum exactissime  
 affecta est. Edebatur hoc opus anno  
 Incarnationis Dominicæ millesimo quin-  
 gentesimo octogesimo septimo: demum  
 vero sancta hæc Virgo, postquam cun-  
 ctos vitæ suæ dies in assiduo sanctorum  
 Patrum, & Historiæ Ecclesiasticæ stu-  
 dio, necnon in pietatis exercitiis trans-  
 egerat, acuta febris confecta die deci-  
 ma Septembris hoc anno, e sua cella  
 animam Deo reddidit annos nata se-  
 ptuaginta septem.



## §. CXIII.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1591.*Catholici in Anglia dire vexati.*

Postquam die decima septima Octobris hoc anno Christophorus Hattonus Angliæ Cancellarius vivis ereptus fuerat, crudelissimum adversus Catholicos edictum promulgabatur, quod tamen idem Hattonus Catholicis addictissimus nunquam publici juris fieri permisisset. In eodem edicto sub falso prætextu continuarum conjurationum, quas Hispaniæ Rex in Anglia moliri dicebatur, Regina omnibus, cujuscunque conditionis, ac status essent, præcepit, ut eorum, qui quatuordecim abhinc Mensibus Londini sedem fixerunt, nomina, statusque conditiones distincte indicarentur, simulque declararetur, in quam patria per integrum annum, priusquam in Angliam venissent, habitassent, ac cujus professionis, status, ac opificii essent, & quodnam negotium tractassent, anve divinis laudibus juxta Anglorum leges assidue interessent, quam in rem plures etiam in quæstionem vocabantur, atque illi, qui in suis responsis fluctuare credebantur, Provinciarum Deputatis tradebantur, qui eos severis pænis affligere jubebantur: porro hoc edictum promulgabatur Londini die vigesima nona Novembris urgente Guilielmo Cecilio



Sæcul. XVI. cilio Barone de Burghleio supremo Regii  
A. C. 1591. ærarii Præfecto, jurato Catholicorum  
 hoste, cujus sævitia plures Sacerdotes  
 æque, ac laici crudelem in modum  
 morti tradebantur.

## §. CXIV.

*Cracoviensis seditio ob hæreticorum se-  
 ditam exorta.*

*Thu. 1. 100.* **H**oc item anno Cracoviæ in Polonia  
 ob Religionis diversitatem seditio  
 concitabatur: quippe in ipso Ascensio-  
 nis die quasi signo dato Cracoviensis  
 Universitatis Academici turmatim con-  
 fluentes cingebant ædes, in quibus Pro-  
 testantes ad concionem audiendam, &  
 preces ritu suo fundendas convenerant,  
 quamvis equidem Satellites regii, ut  
 vim prohiberent, accurrerent, domus  
 tamen expugnata fuit, plerisque occi-  
 sis, & graviter vulneratis: nec contenti  
 factiosi rursus vires, aggregante se ad  
 eos plebe, colligunt, & ædes illas in-  
 censas ad extremum demoliuntur, qua-  
 re cum Evangelici, quo nomine Prote-  
 stantes apud eos se indigitant, maxi-  
 me exacerbati essent, hæc patientiæ  
 ipsorum, quatenus ulteriora ferre pos-  
 sent, tentandæ causa fieri existiman-  
 tes, Parisiensis lanienæ etiam memo-  
 riam revocant, & Camioliscicæ tumul-  
 tuarium Conventum celebrant, atque  
 in de



inde ad Regem Sigismundum quos-<sup>Sæcul. XVI.</sup>  
dam decernunt, ut eidem exponerent, <sup>A.C. 1592.</sup>  
quod violenti ejusmodi insultus, de  
quibus questum venissent, non minus  
regiam dignitatem, quam tranquillitatem  
publicam violarent: quapropter  
Deputati Regi significare jubebantur,  
quod frequentiori numero Radomi con-  
venire decrevissent, huicque conven-  
tui Lithuanica pariter Nobilitas acces-  
sura esset, proin Regem rogarent, ut  
Evangelicis denuo locus, in quo ad li-  
bere exercendos sectæ suæ ritus con-  
veniant, Cracoviæ attribuat, & Co-  
mitia, in quibus pax Religionis consti-  
tuatur, primo quoque tempore indi-  
cantur. Hos delegatos non sine animi  
indignatione excepit Sigismundus, &  
amare increpuit, quod privata aucto-  
ritate contra Regni jura conventum in-  
stituisset hæretici, quocirca eis dun-  
taxat permisit, ut cuivis sectam suam  
profitendi libertas esset, ac domus di-  
rutas restaurare, ibique convenire cun-  
ctis liceret.

## §. CXV.

*Cardinales conclave ingressi.*

Interea Romæ de eligendo novo Pon-<sup>Thuan. l. 6.</sup>  
tifice agebatur; eapropter Cardina-  
les numero quinquaginta duo die de-  
cima Januarii Anno a partu Virginis  
mille-



Sæcul. XVI. millesimo quingentesimo nonagesimo  
A. C. 1592. secundo sacris comitiis initium fecere,  
 ubi Cardinali Sanseverino quamplurimi  
 favebant, ceterosque ad illius electio-  
 nem inducere nitebantur, unde etiam  
 altera die undecima ejusdem Mensis  
 palam a plurimis in Papam nominaba-  
 tur, nam partis Hispanicæ Cardinales  
 unacum Madrutio suorum principe, nec-  
 non Montaltus cum suis clientibus con-  
 festim Sanseverinum publico obsequio,  
 quod adorationem appellant, tanquam  
 Pontificem declarare decreverant, hinc  
 mox triginta tres Cardinales Sanseve-  
 rini cubile ingressi, eundemque velut  
 Papam salutantes eum ad Sacellum  
 Paulinum deducebant, ubi ejusdem  
 electio abs dubio confirmata fuisset, nisi  
 Cardinalis Ascanius Columna junior,  
 qui eodem errore inductus jam Sacel-  
 lum cum aliis ingressus erat, a Sfortia  
 monitus sese subduxisset, illum frustra  
 retinere conantibus Henrico Cajetano,  
 & Hieronymo Matthæo Cardinalibus.

## §. CXVI.

*Sanseverini electio variis modis  
 præpedita.*

*Th. l. 103.* Pariter Cardinali Sfortiæ sese conjun-  
*Spond. n. 1.* xit Columna, qui de oppositæ par-  
 tis vi, atque injuria coram suis Sociis  
 tam alta voce querebatur, ut etiam a  
 cunctis



cunctis extra conclave stantibus perci- Sæcul. XVI.  
A.C. 1592.  
peretur: demum vero Sanseverinum  
tanquam furiosum, indocilem, & si-  
moniacum publice traducens, nisi res  
intra legitimos liberæ electionis limites  
coerceretur, etiam minabatur, fore, ut  
vis contra vim pararetur, & cruor ex  
Conclavis foribus ad S. Petri usque  
Basilicam per gradus dimanaret. Sfor-  
tiæ Marcus Siticus Altempsius, & Igna-  
tius Davalus Arragonius se socios ad-  
jungere, atque Ignatius Sanseverinum  
per iram Diabolum vocitans simul asse-  
rebat, ab eodem sibi octo aureorum  
millia promissa, atque insuper purpu-  
reum Galerum Thomæ Nepoti, si suf-  
fragio ipsum suo juvare vellent.

Interea Cardinales in Sacello Pau-  
lino congregati, cum numero triginta  
quinque essent, Sanseverinum scrutiniū  
via eligere potuissent, si desuper recor-  
dati fuissent, verum ceterorum audaci  
consilio tantopere terrebantur, ut hanc  
viam tentare non auderent: insuper Ge-  
sualdus sacri Collegii Decanus Sanse-  
verino exposuit, quod iis, qui ipsum  
in Pontificem assumere nollent, veniam  
daret, ut hoc pacto concordia inter  
cunctos prospere conciliari posset: mox  
autem Sanseverinus reposuit, quod una-  
omnes pari affectu tanquam Fratres  
suos complecteretur, quapropter publico  
obse-



**Sæcul. XVI.** obsequio initium dari rogaret: ad hæc  
**A.C. 1592.** tamen Gesualdus dixit, præcipiti haud  
 utendum consilio, sed potius expectan-  
 dum, illisque, qui sese opponunt, ad  
 saniora redeundi spatium esse relinquen-  
 dum: sub idem quoque tempus præfa-  
 tus Decanus præsentis Purpuratos  
 numerare volebat: ast prævalente inter  
 eos tumultu, rerumque confusione nun-  
 quam eos ad certum numerum redi-  
 gere poterat: hac autem Gesualdi can-  
 stantione Sanseverinus Pontificatus spe  
 frustrabatur, & Madrutius incassum ad-  
 versantes ad sua studia pertrahere con-  
 nabatur: præterea cum alii Sacelli Pau-  
 lini portas occludi juberent, Sfortia,  
 Sfondratus, & Aquaviva palam decla-  
 rabant, quod adversus hanc electionem  
 reclamarent, eoquod fores pro more  
 apertas tenere deceret: igitur illis quan-  
 tocius apertis plures exclamare audie-  
 bantur, quod nullus ibidem invitus  
 detineretur.

Postea Madrutius, & Montaltus  
 Cardinales habito cum aliis quibusdam  
 consilio in deliberationem vocabant,  
 utrum cum triginta quinque suffragiis,  
 de quibus certi erant, Papam eligere  
 possent: mox autem conclusum, id via  
 publici obsequii fieri non posse, eoquod  
 unum deesset suffragium, totidem vero  
 vota ad electionem scrutinii via facien-  
 dam



Sæcul. XVI.  
A.C. 1592.

dam sufficerent: cum vero continuæ hæ tergiversationes ipsis præiudicio esse possent, hinc Decanum rogabant, ut solemne de Spiritu sancto Sacrum, quod semper electioni præmitti, mos ferebat, celebraret: ast Gesualdus, qui clam Sanseverino adversabatur, eisdem in responsis dabat, prius illos, qui extra Sacellum consistunt, esse interrogandos, an & ipsi ad publicam hanc venerationem accedere velint: ergo Madrutius unacum Decano ad illos properans eis rem proposuit, statuitque, ut tunc, si accedere renuerent, ipsis etiam absentibus Sacrum esset celebrandum: cum autem ambo hi Cardinales Sixtinum Sacellum adirent, illosque, qui ibidem congregati hærebant, rogarent, ut generali scrutinio mox inchoando interesse vellent, mox Altempsius ceterorum nomine verba faciens hæc respondit: „invitis nobis, ac „prætermiſſis solemnitatibus consuetis „ceteri Papam eligere aggressi sunt, hinc „non amplius electioni huic interesse volumus, sed vicissim & nos in Sixtino „Sacello, ubi nunc congregati sumus, „rem divinam peragemus.

Enimvero illa die in conclavi simul duo celebrabantur sacra: postea etiam circa suffragiorum schedas levis quædam exorta est contentio; quippe Cardina-

*Hist. Eccles. Tom. LI.*

O

les



Sæcul. XVI. les Sanseverino addicti hæc suffragia  
A.C. 1592. schedis apertis esse danda contendebant:  
 tandem vero ea sigillo clausa dari posse  
 consentire; omnino enim certam esse  
 Sanseverini electionem existimabant:  
 dum vero ea res Sanseverino Cardinali  
 innotuerat, palam profitebatur, quod  
 ipsi tale scrutinium fraudi esse nequi-  
 ret, eoquod juxta sacrorum Canonum  
 præscripta jamjam electus foret: at De-  
 canus mox ei reposuit, quod omnes  
 ad ejus obsequium parati essent, quiete  
 tamen res peragi oporteret. His di-  
 ctis illum rursus interrogabant, an  
 omnibus, a quibus offensus fuisset, ve-  
 niam dare vellet: „lubenti animo, re-  
 „spondit Sanseverinus, omnibus ignosco,  
 „atque in sinceræ reconciliationis si-  
 „gnum nomen Clementis assumam, ut  
 „omnibus testatum reddam, quod in  
 „animo meo nullum indignationis ve-  
 „stigium amplius residuum sit contra il-  
 „los, qui nil nisi molestias mihi creare  
 „intenti fuere.„ Tum ergo suffragia  
 colligebantur, reque peracta Sanseve-  
 rinus nonnisi triginta sibi suffragantes  
 numerabat, computatis etiam suffra-  
 giis, quæ eidem *accessus*, ut vocant,  
 via Montaltus, & Pinellius dederant,  
 qui ad testificandam animi sui sinceri-  
 tatem sua suffragia aperte dabant: proin-  
 Sanseverinus quinque vota minus, quam  
 antea



antea ferebat. Tandem Cardinales, *Sæcul. XVI.*  
 cum per septem horas in Sacello per- *A.C. 1592.*  
 mansissent, una omnes ad suas cellas  
 sese receperunt, quieti non nihil indul-  
 turi: erant tamen adhuc sententia di-  
 scordes, atque Sanseverini hostes vel-  
 uti ovantes e Sacello egrediebantur,  
 perinde ac si ingentem reportassent vi-  
 ctoriam: e contrario autem illi, qui  
 Sanseverino favebant, tanto obruebantur  
 pudore, ut vix oculos extollere au-  
 derent, imo vix verbis exprimi valet,  
 quanto mœrore affectus fuerit Sanse-  
 verinus, qui jamjam in suo cubili tan-  
 quam Papa salutabatur, nam totidem  
 suffragia solus jam ferebat, quot  
 ad legitimam electionem requireban-  
 tur: insuper Madrutius eidem jamjam  
 Cæsaris, Regisque Hispani negotia,  
 necnon Senonensis Cardinalis Franciæ,  
 & Radzivilius Poloniæ res commenda-  
 bant, ceterique Cardinales ab eo di-  
 versas petebant gratias, ac denique  
 ipse jamjam cum ingenti comitatu ad  
 Sacellum perexerat, nunc vero solus  
 ad suam cellam redire cogebatur.

Nihilominus Sanseverino addicti il-  
 lius electionem promovere non cessa-  
 bant, spe freti, quod illorum, qui ab  
 eo defecerant, numerum facile resar-  
 cire possent ad conclave accedentibus  
 Joyosa, & Austriaco Cardinalibus, quo-  
 rum



Sæcul. XVI. rum adventus ad momenta expecta-  
 A.C. 1592. batur: insuper Montaltus Ascolum, &  
 Paleottum ad sua studia attrahere irrito  
 licet conatu tentabat, Madrutius quo-  
 que quosdam Hispanicæ Nationis clien-  
 tes Sanseverino conciliare nitebatur;  
 verum oleum, operamque perdidit;  
 illi enim, qui huic Cardinali adverfa-  
 bantur, tanta vi sese opponebant, ut  
 nil certius esse crederent, quam illum  
 a Pontificatus honore exclusum iri. Sub  
 idem tempus advenerat Joyosa Cardi-  
 nalis, qui quamvis ab utraque parte  
 vehementer sollicitaretur, nulli tamen  
 sua studia addicere voluit: demum va-  
 riæ hæ sollicitationes durabant usque ad  
 vigesimam sextam Januarii diem, qua Car-  
 dinalis de Rouere mortalitatem exiit:  
 cum autem Sanseverini fautores de il-  
 lius electione desperarent, Madrutio  
 favere cæperant, illumque abs dubio ad  
 sacram Sedem evexissent, si Montaltus  
 ipsius causam sincero animo promo-  
 visset.

## §. CXVII.

*Aldobrandinus Cardinalis in Papam  
 electus.*

*Thu l. 103.  
 Ciac. t. 4.*

Rebus ita constitutis Aldobrandinus  
 Cardinalis ab universo sacro Colle-  
 gio plurimi habitus proponebatur; il-  
 lum enim Perettus præ ceteris eo tem-  
 pore



pore, quo ferme nullus in eum oculos **Sæcul. XVI.**  
 conjecerat, selegit, ipsiusque nomina- **A.C.1592.**  
 tio tantopere omnibus grata accidit, ut  
 die vigesima nona Januarii omnium fer-  
 me suffragia in eum conspirarent, at-  
 que altera die trigesima ejusdem men-  
 sis communi omnium voto in Papam eli-  
 geretur: ergo quantocius Pontificali  
 habitu ornatus ad sacellum Paulinum  
 deducitur, ac pro more ibidem officiose  
 salutatus, in suam electionem consen-  
 tire rogabatur: ast ille in Cathedra sibi  
 parata confidere renuens, in terram  
 sese prostravit, precatus, ut Deus, si  
 ejus electio Ecclesiæ proficua non fo-  
 ret, potius ab eo animam suam repe-  
 teret.

§. CXVIII.

*Neo - electus Papa nominatus Cle-  
 mens VIII.*

Postea Pontifex e terra surgens, quod *Oldoin. in*  
 Clementis VIII. nomen assumeret, *add. ad Ciac.*  
 declarabat, cunctosque Cardinales *pag. 265.*  
 tenero affectu complexus demum solitis  
 solemnitatibus ad Basilicam Divi Petri,  
 inde vero in Vaticanum deducebatur  
 palatium. Tum annum ætatis suæ  
 agebat quinquagesimum sextum, die  
 autem secunda Februarii Alphonsus Ge-  
 sualdus Cardinalis Ostiensis Episcopus  
 pro more inaugurationi Pontificiæ so-



Sæcul. XVI.  
A. C. 1592.

lemnia peragebat, atque octavo post die neo-electus Pontifex supremæ suæ dignitatis insignia a Cardinale Sfortia Cardinalium Diaconorum Decano receperat: porro hic Pàpa pro Symbolo selegerat hæc Regii Prophetæ verba: *Protektor noster aspice Deus Psal. 83. v. 9.* die autem quarta Aprilis Ecclesiæ ad S. Joannem Lateranensem possessionem accepit.

§. CXIX.

*Hujus Pontificis historia.*

Ciac. p. 251.

Clemens VIII. qui ante electionem Cardinalis Hyppolitus Aldobrandinus nominabatur, origine Florentinus Fani, quod oppidum est Pisaurum inter, & Senogalliam ad maris Adriatici oram situm, ex nobilissimo illius patriæ genere natus est, nam Patrem habuit Sylvestrum a Sixto V. Fanensi administratione auctum, Matremque Lesam Deti: illius vero frater fuit Joannes Aldobrandinus, qui in Magni Pœnitentiarum dignitate sancto Carolo Borromeo successerat; porro Hyppolitus Alexandri Farnesii præsidio honoratus Romæ suis studiis vacabat, & postea Doctoris Paleottæ Magisterio usus Bononiæ, & Ferrariæ jurisprudentiæ operam dabat: inde Romam reversus omnes Romanæ Curia dignitates obibat.



bat, demum anno millesimo quingen-<sup>Sæcul. XVI.</sup>  
 tesimo octogesimo quinto a Sixto V. A.C.1592.  
 Romana purpura decoratus: anno au-  
 tem sequenti Boncompagno Cardinali  
 in officio magni Pœnitentiarii successit,  
 necnon Legatus in Poloniam decre-  
 tus magnum inde honorem reportabat,  
 nam hujus Regni tumultus sedabat, Po-  
 lonia enim intestinis diffidiis scindeba-  
 tur, dum post Stephani Batorii obitum  
 simul Sigismundus Sueciæ Princeps,  
 & Maximilianus Archidux Austriæ eli-  
 gebantur.

§. CXX.

*Pontificatus hujus auspicia.*

Hic idem neo-electus Pontifex post <sup>Ciac. &</sup>  
 suam inaugurationem primas eo <sup>Vit. l.c.</sup>  
 curas intendebat, ut Parochias, mona- <sup>Bull. t.3.</sup>  
 steria, aliaque pia loca in Urbe Romana <sup>pag.7.</sup>  
 lustraret, insuper die octava Junii edito  
 diplomate ejusmodi visitationem indi-  
 xit, professus, quod hac actione unice  
 eo collimet, *ut omnis ex urbe auferatur*  
*iniquitas, & ut Clerus, & populus Ro-*  
*manus, vitæ innocentia, ecclesiastica disci-*  
*plina, omni denique Christianæ pietatis*  
*exemplo ceteris præluceat.* Porro idem  
 Pontifex prius quædam alia ediderat  
 diplomata, & quidem primo die quarta  
 Februarii approbabat Constitutionem  
*Pii V. ab Innocentio IX. declaratam de*



Sæcul. XVI. non alienandis, & infeudandis Civitatibus,  
A C. 1592. & *Locis aliis sanctæ Romanæ Ecclesiæ at-*  
 tinentibus, hanc ipsam vero suam con-  
 stitutionem die vigesima sexta Julii nova  
 Bulla explicabat, simulque eodem men-  
 se Februario per aliud statutum ratam ha-  
 bebat constitutionem a Sixto V. editam,  
 circa conservationem pecuniarii præsidii quo-  
 ad triginta centena millia nummum auro-  
 rum, qui ab eo in arce sancti Angeli, ad  
 Ecclesiæ, & Sedis Apostolicæ auxilium  
 repositi erant: præterea idem Pontifex  
 die decima nona Martii constitutionem  
 promulgabat, qua quasdam Judicum,  
 uti vocant, Conservatorum electiones  
 a Sede Apostolica concessas revocabat,  
 si illi requisitis dotibus careant: insu-  
 per etiam statuit Pontifex, ut eorum  
 electiones in Conciliis provincialibus  
 juxta normam a Concilio Tridentino  
 præscriptam fierent. Ceterum alio di-  
 plomate Clemens VIII. die vigesima  
 Novembris novam concessit facultatem  
 Fratribus Ordinis *B. V. Mariæ de Mer-*  
*cede Redemptionis Captivorum*, ut in die-  
 bus *S. Catharinæ, ac Cinerum, & Cæne*  
*Domini*, generalem benedictionem, & ab-  
 solutionem elargiri valerent: denique quæ-  
 dam alia edidit statuta circa census a  
 Societatibus, & ditionis Ecclesiasticæ  
 eommunitatibus venditos.



§. CXXI.

Sæcul.XVI.

A.C.1592.

*Quædam hujus Pontificis diplomata  
pro regimine Ecclesie.*Clemens VIII. die vigesima tertia Maji *Bull. p. 6.*

suo diplomate confirmabat prohi-  
 bitionem editam a Gregorio XIII. con-  
 tra Fratres Prædicatores Ordinis S. Do-  
 minici, qui favoribus cujuscunque personæ  
 extra ipsum Ordinem, ad dignitates, &  
 officia obtinenda utuntur: porro die vige-  
 sima tertia Junii idem Papa Pastoralis  
 epistola hortabatur Alumnos Seminario-  
 rum Sedis Apostolicæ, & alios, ut in stu-  
 diorum cursu, Catholicæ fidei, omnium-  
 que virtutum generis progressu perseverent,  
 & indes magis ferventius pietatis exerci-  
 tiis incumbant, præterea agebat de bono  
 regimine, rectaque administratione bonorum,  
 & reddituum, cujusque communitatis loco-  
 rum ditioni sacræ Romanæ Ecclesie sub-  
 jectorum, simulque Congregationem Cardi-  
 nalem ad cognitionem gravaminum, ac li-  
 tium earundem Communitatum instituebat:  
 edita est hæc Constitutio die decima  
 quinta Augusti, trigesima autem Octo-  
 bris Cardinales ad hoc negotium de-  
 putatos nominabat: insuper die decima  
 septima Augusti speciali diplomate con-  
 firmabat, atque declarabat Constitu-  
 tiones Apostolicas, & decretum Con-  
 cillii Tridentini contra pugnantes in Duello

O 5

vel



Sæcul. XVI. *vel publice, vel privatim, necnon contra*  
A. C. 1592. *mittentes, scribentes, aut divulgantes char-*  
*tulas provocatorias, aut scripta, quæ di-*  
*cuntur MANIFESTA, eorumque Com-*  
*plices, & fautores. Die quarta Septem-*  
*bris alia Constitutione eximebat Congre-*  
*gationem B. Mariæ Fuliensis, a jurisdic-  
 tione omnium aliorum Prælatorum Ordinis*  
*Cisterciensis Monachorum sancti Benedic-  
 ti.*

Ceterum ut suum favorem ad ipsos  
 etiam Fratres Prædicatores extende-  
 ret, in suo diplomate die vigesima quin-  
 ta Septembris declarabat, quod Fra-  
 tres Prædicatores Ordinis S. Dominici in  
 omnibus actibus, & processionibus, tam  
 publicis, quam privatis ante omnes Religio-  
 sos, tam Mendicantes, quam non Mendi-  
 cantes, post Canonicos, & Clericos sacu-  
 lares, ac antiquos Monachorum Ordines  
 tunc præsentis suum locum habeant, quin  
 illis desuper molestia inferri possit.

Porro cum Monachi sancti Basilii  
 varias communitates, quarum una ab  
 altera non dependebat, constituerent,  
 hinc Pontifex edito diplomate die vi-  
 gesima nona Octobris hosce Monachos  
 in unam Congregationem sub regimine  
 unius Abbatis reduxit, eisque certum  
 Novitios recipiendi modum præscripsit,  
 die autem tertia Novembris promulgata  
 Constitutione instituit Congregationem  
 S. R. E. Cardinalium, super gratiis, &  
 remissio.



remissionibus bannitorum, & criminoforum **Sæcul. XVI.**  
 hominum status Ecclesiastici, eorumque com- **A.C. 1592.**  
 plicum, & fautorum: demum idem Pon-  
 tificex suo diplomate die nona ejusdem  
 mensis fufius enarrat privilegia, quæ  
 Conclavifis, feu illis, qui in Pontificum  
 electionibus facris comitiis interfuerant,  
 concedit, eosque ab omnibus, fi quas  
 incurriffent, cenfuris absolutos, facri  
 Palatii Comites creat, eisque omnes  
 fructus perceptos, fi de beneficiis pro-  
 vifi sunt, indulget, quibus privari po-  
 tuiffent, fi fors penfum precum Cano-  
 nicarum perfolvere neglexerunt: infu-  
 per eisdem, fi qui ex ipsis natalium  
 vitio laborarent, ad poffidenda officia  
 profana aptos declarat, eisque, qui  
 nonnifi centum aureorum pensiones poffi-  
 dent, permittit, ne habitum eccle-  
 fiasticum, & tonsuram deferre tenean-  
 tur, illisque literæ Apoftolicæ gratis  
 expediantur. Denique die vigefima  
 quinta Novembris fua Conftitutione in-  
 ftituit preces quadraginta horarum, alter-  
 natim, & jugiter habendas, in Ecclefiis,  
 & piis locis Almæ Urbis, ad præfcriptam  
 Ecclefiarum, & temporis distribu-  
 tionem, cum indulgentiarum  
 concessione.

HISTO-